

HARVARD
UNIVERSITY
ARNOLD
ARBORETUM
PRESENTED · BY · CHARLES · SPRAGUE · SARGENT
1892

SYNODUS BOTANICA

OMNES

FAMILIAS, GENERA ET SPECIES

PLANTARUM ILLUSTRANS.

PARS III.

CONTINENS FAMILIAE ROSACEARUM GENERA OCTO GENUS ROSAE PROXIME SUBSEQUENTIA.

VINDOBONAE, 1823.

APUD J. G. HEUBNER.

ROSACEARUM

MONOGRAPHIA.

AUCTORE

LEOPOLDO TRATTINNICK,

Musaei Caes. Reg. botan. Vindob. custode, Magnat. Austr. infer. Phytographo, Soc. Caes. Reg. Agricult. pluriumque aliarum Societatum liter. sodali etc.

VOLUMEN III.

VINDOBONAE, 1823.

APUD J. G. HEUBNER.

PRAEFATIO.

Complectitur tomus praesens genera Rubi, Kerriae, Dalibardae, Waldsteiniae, Gei, Dryadis, Fragariae et Duchesneae, circa quae sequentia hoc loco monenda sunt:

Monographia Rubi continet 85 species. Harum jam 42 expositae sunt in Curt. Sprengelii Grundz. der wissenschaftl. Pflanzenk., p. 503—516: ceteras debeo benevolentiae ill. Prof. Laur. de Vest, defuncti amici Francisci de Portenschlag, nec non novissimis quibusdam operibus, e. gr. Linkii Enumer. hort. reg. berol., Nees et Weihe Monographiae Ruborum, Roth Nov. pl. spec. Nocca et Balb. Fl. ticin. et plur. aliis. Ex his ut novas, vel saltem nomine alienatas exhibeo sequentes, scil: R. Eglanteriam, R. appendiculatum, R. Enslenii, R. floridum, R. obovatum, et R. cochinchinensem. Sequentes species hoc loco assumptas prae ceteris ulteriori et accuratiori Botanicorum observationibus commendare debeo: R. pinnatum, R. australem (an flores apetali?), R. pensylvanicum (an recte conjunxerunt cum R. strigoso?), R. paniculatum, R. canescetem, R. borbonicum, R. argutum, R. acaulem, R. corchorifolium, R. suberectum, R.

sanguinolentum, R. albicantem, R. ulmifolium, R. obovatum, R. parviflorum*), R. rugosum et R. cochinchinensem. Nomine tantum a cel. Steudelio aliisque indicatas ne quidem nota characteristica ulla designare potui sequentes, adeoque ut maxime problematicas propono: R. aculeatum Spreng., R. arduensem Lejeune, R. hirsutum Weihe. (sine dubio alius quam R. hirsutus Presl.?) R. infestum Weihe, R. linguam Weihe, R. microphyllum L. fil. (v. R. palmatum!), R. montanum Lejeune, R. rhombifolium Weihe, R. Schlechtendalii Weihe, R. serratum Räuschel., R. thyrsiflorum Weihe., R. trifolium, R. radulam et R. infestum. Sequentes tandem circa Rubos quaestiones pono investigatoribus, quibus occasio arridet ulterius in Naturae arcana penetrandi: *a.*) R. acaulis et R. pistillatus an forte proprium genus reposcunt, uti et R. radicans, et a Raffinesquejo jam, sub nomine Cylactis separatus R. canadensis cum R. saxatili, utique proxime affini? *b.*) R. triphyllus Bellard. an cum R. tomentoso identicus? an R. collino propinquus? *c.*) R. Commersonii, an merum R. rosaefolii Synonimon?

Circa Kerriam japonicam nil amplius commemorandum habeo, nisi votum, quod magnates ve-

*) Hoc loco error typographicus apud Steudelium: allegatio enim P. et W. pertinet ad R. parvifolium non ad R. parviflorum.

lint omnia impendere ut tandem olim planta simpliciflora in hortos europaeos perveniat.

Inter Dalibardas solam D. pedatam dubium offendit, numne fortasse ad genus Waldsteiniae transferenda sit? quod ante perspectum fructum decidi nequit.

Genus Waldsteiniae quatuor speciebus adauxi. Waldsteinia Mönchii a Geo separari debuit ob pericarpia mutica. Ceterum haec species ulteriori indagatorum industriae singulariter commendanda est. Waldst. fragarioidem jam cel. Prof. Nestler separavit a Dalibarda: sed pro novo genere differentia nimis angusta est, cum Waldsteinia haec planta in omnibus convenit, et fere pygmaeam W. geoidis repraesentat. W. sibirica Dalibardae fragarioidi adeo affinis est, ut potius de differentia specifica dubitare deberemus, nisi patria, et differentiae expositae nobis illam persuaderent. W. Donianam ad iconem descriptam pariter separavi a Dalibarda fragarioide.

Gei 29 exhibui species. Dubia et obscuritates praecipue obversantur circa Geum album, G. virginianum, G. nutans, G. pyrenaicum, G. hederaefolium, G. Peckii, G. triflorum, G. rotundifolium, G. coccineum, G. involucratum, G. magellanicum,

G. glaciale, G. geniculatum, G. agrimonoides, G. ciliatum, et G. radiatum. Praeprimis circa legitimitatem generis quaestio moveri posset de Geo reptanti et tota serie ejusdem, tum etiam de G. agrimonoide, et G. radiato. Quid G. helveticum Schleich., G. hirsutum Mühlb., et G. hirtum Wahlb. sint, penitus ignoro.

Genus Dryadis una specie privare debui: nam Dryas tenella nil nisi Synonimon est Dr. integrifoliae. Dryas ipsa integrifolia vix essentialiter differt a D. octopetala.

Inter 14 nostras Fragariae species sequentes clariorem observationibus innixam illustrationem reposcunt, scil. F. canadensis, F. bonariensis, F. calycina, F. praecox. Fragarias sterilem, et micrantham seduxi a Potentilla, praecipue habitu convictus, qui nimis ab hoc genere declinat, Fragariae vero omnibus numeris aequat. De Fragariis Duchesnei plures, ut varietates reduxi ad suas species; reliquas ad species.

Genus Duchesneae ut maxime distinctum considero, et neque Fragariae, multo minus Rubo conjungendum. Profecto, nisi fructus tantopere memoriam Fragariae revocaret, in nullo unquam idea coadunationis excitata fuisset. Habitus enim

potius Potentillam significat; calyx et reliqua ab omnibus hujus familiae generibus recedunt.

Jam ergo novem absolvi praesentis monographiae genera, et si favores sodalium in Florae imperio ministrorum meae diligentiae et laboribus adprobationem tribuent, in posterum illorum potius augmentum spondeo, et me paratum declaro, omnia, quantum fieri potest, emendandi, quae ut vere erronea, vel fini susceptionis contraria demonstrentur.

Ad dubia cel. Dris. Steudel contra Synodi ipsius utilitam jam responsa mea exhibui in folio singulari, quod etiam tomo secundo hujus operis adjectum fuit, lingua germanica. Jam etiam monitis in Repertorio literario Beckii d. a. praes. no. 10. p. 272 — 276. satisfaciendum est. Censor h. l. agnoscit utilitatem et gravitatem susceptionis, et quae vituperat, non nisi in finem summae, quae optanda est, perfectionis, explicat. Pro ejusmodi indigitationibus ex intima mente gratias ago, et me ad omnes emendationes perficiendas paratum sincere iterum iterumque declaro. Liceat nihilominus rationes reddere, quae me eo duxerunt, ut quaedam inirem, quae praeclaro censori minus recta videntur!

Sic delectus generis Rosae pro initio non spontaneus fuit. Etenim gradus methodi naturalis sequor, et in his Familia Rosacearum primaria, in hac familia genus Rosae primarium est. Sed jam in praesenti tomo IIItio alia genera adsunt, quae Botanicos multo magis alliciunt. v. Prolegomena in Tom. I. Synodi, pag. 3. ubi declaravi, qua de causa primum consilium, Monographias sine ordine edendi mutaverim.

Series ex eadem causa non potui artificialiter connectere per characteres exclusivos, quia in methodo naturali pluralitas similitudinum affinitatem determinat, non character artificialis. Interea, quantum fieri potuit, seriebus definitiones anteposui, et consignationem specierum, quae ad quamlibet earum pertinent. Sed sunt utique merae schedulae separatae, et possunt pro lubitu cujusvis ad Systema artificiale disponi, quodcunque genio ipsius praeplacet. Hic ergo non agitur tantopere de ordine, sed eo magis de fideli relatione praestatorum, et conservatione omnium observationum a Botanicis usquedum institutarum.

Quod diagnoses 6 — 10 lineas longas adtinet, velint Lectores placide discernere proprias ab illis quas verbotenus ab aliis suscepi, et tandem Di-

stinctiones subspecierum, quae nullo modo pro diagnosibus exhibentur, sed potius propria et nova methodo, etiam typis sufficienter distincta, formarum diversitates consignant, quae saepius ab aliis pro specificis consideratae fuerunt, vel ad species relatae, quibus non subordinatae sunt. Quod conspectus Totius hac ratione valde difficilis reddatur, non nego, sed conspectus ad characteres exclusivos mere artificialis non potest philosophicus dici, quia tum simillima dilacerantur, fere ut in ordine alphabetico, in quo quidem omnia verba strenue ordinata sunt, sed omnis cohaesionis sensus disparet. Potius ordo affinitatis solus est, qui ideam dignitatis, relationis et cohaesionis producere potest. Sit ergo haec methodus difficilior, tamen lucrum ejus longe majus est et essentiale, quod penitus denegari debet methodo artificiali.

Quod Censor de diversitate terminologica et physiologica dicit, inde deducendum est, quod in tali instituto non potuerim evitare verbalem allegationem diagnosium ab aliis auctoribus, qui utique ad diversa saepe principia divergere solent. Sed quod ipse calycem modo receptaculum, modo calycis tubum, modo germen, modo urceolum dicam, hoc penitus erroneum et falsum est. Legatur

in T. I° Synodi Epit. p. 86. — Ego potius vituperavi hasce auctorum delitescentias, et novum Urceoli terminum creavi, quem etiam ubique adhibui, et si in diagnosi alterius cujusdam alius terminus hujus loco adhibitus fuit, semper per parenthesim meum terminum subjunxi.

Subspecies et varietates non semper consignavi in tabula speciei principalis. Sed hoc ex duplici causa fieri non potuit, 1mo quia spatium saepe non concessit, et 2do quia in futurum verosimillime plures adhuc inserendae venient, quae dein in consignatione deficerent; cum itaque nulla talis consignatio pro completa haberi posset, optimum putavi, si illam penitus omitterem, vel tantum obiter tractarem.

Epitome insufficiens dicitur: ergo saltem non supervacaneum! Revera volui plura inserere, praesertim Synopsin; sed duplex iterum consideratio me detinuit, 1.) spatium, ne Prolegomina ultra modum extravagarent, et 2.) inutilitas laboris frustranei, cum post aliquot annos talis Synopsis manca et operi ipsi non respondens dici, et tandem ipse nexus a me propositus industria observatorum posteriorum iterum dirimi aliterque componi deberet. Rationes, quare excludantur Sanguisorbaeae etc.

patebunt ex comparatione schedularum, in quibus serius istae familiae illustrabuntur.

Terminus *polyfidus* vituperatur: sed est vere philosophicus; *multifidus* longe aliam rationem exprimit, nempe in partes multas divisum: *polyfidus* autem solummodo irregularitatem in numero partium exprimit, quae quandoque etiam perpaucae esse possunt. Sic etiam signum ⊙⊙ non multitudinem sed meram irregularitatem in numero indicat.

Multitudinem signorum symbolicorum (vid. T. I. p. 13.) excusare debet exemplum tanti praedecessoris, qualis Prof. De Candolle est, qui eadem primus in suo Systemate naturali induxit. Ego tantum mutavi in consueta Calendariorum, et perpauca nova addidi, quae ex consequentia necessaria videbantur. Eorum utilitatem commonstrabit usus in progressu operis.

Quod varietatum consignationes ex operibus Thoryi, Woodsii, Raui etc. huc translatae genio philosophico destitutae sint, video et doleo: sed has in commodum illorum adjeci, qui hortos sustinent, et saepe ingentibus sumptibus, nominibus decepti, Rosas emunt, abs quod sciant, quibus relationibus sese ad alias habeant, et quid de ipsarum dignitate

sentiendum sit. Quod Censor de floribus plenis et semiplenis dicit, in eo omnis consentio. Utique plenitudo non est varietas, sed mera monstrositas! (v. T. I. Epit. p. 30.)

Censori praeplacuissent Schemata Rosarum ad diversos intuitus, restringentes, plus minusque liberales. Sed haec in opere ipso ob rationes jam expositas dari non poterant, quum tantum statui ipsius primitivo adcommodata, et post aliquod tempus mox iterum incompleta atque immunda fuissent. Forte in futurum opusculis solitariis talia praestabo; et hoc eo melius perfici poterit, quando intuitus et judicia primariorum in nostra arte circa relata patefacta fuerint.

Ad vota Censoris p. 275 expressa, et quidem 1.) ut Conspectus philosophicus Totius tradatur, respondere oportet: quod, uti paullo antea dixi, talis potius in opusculo singulari desiderandus sit, et quod nexus et dignitas individuorum non ex dispositione artificiali, sed potius ex sola naturali intelligi debeat; 2.) ut methodi emendentur: respondeo: Methodorum emendatio prius a theoreticis confirmari debet; hic non est locus pro elaborationibus mere theoreticis: diagnoses autem ab aliis adlatas emendare neque potui, nec volui: has enim

tum adhibui, quando subjecta ipsa, plantae describendae, deerant. Tales diagnoses, etsi incompletas vel malas, eo tantum fine suscepi, ut eo certius citiusque ab aliis emendentur, quibus occasio arridet, ulteriores observationes circa illarum subjecta instituendi. (v. T. I. Epit. p. 27.) Schedulae, quae tales diagnoses imperfectas continent, olim novis commutari debebunt; si autem has species, vel quidcunque demum sint, penitus omisissem, oblivioni traderentur merita primorum observatorum, traderentur ipsae plantae, quarum dignitas in posterum ab aliis melius dijudicanda est: ipse utique non possum omnia conspicere et analytice examinare: ergo nil remanet nisi observatorum fidelis relatio. Quod autem mihi ipsimet inspicere licuit, omni mea diligentia curavi.

Respectu Synonimiae Censor voluisset, ut icones separatim indicarem. Fateor, hoc magis commodum fuisset; sed nisi idem per omnes schedulas contingeret, difformitas enasci deberet, quae Totius harmoniam offenderet. Sunt autem permultae schedulae adeo plenae, ut absolute spatium deficiat pro tali separata iconum indicatione. Typographia alioquin adeo compressa est, quantum fieri potuit, et literae tam parvae ut e. g. in una pagina in 8vo

minori idem praestemus, quod cel. Prof. Lehmanni Monographia de Potentilla in duabus paginis in 4to majori praestitit.

Tandem optasset, ut abbreviationes consuetas: v. v. sp. — v. v. c. — v. s. sp. — v. s. c. — pro auctoritate confirmanda adjecissem. Sed opus ipsum attentius perspiciendo, videbit, me nullibi, ubi utile videbatur, reticuisse conspectum vel defectum subjectorum. Descriptiones et diagnoses proprias litera T. subsignavi, alienas nomine auctoris. Si plantam novam describo, semper dico, ubi illam vivam vel exsiccatam viderim. Pro descriptionibus allegatis stat auctoritas illius, cujus opus descriptio allegata est. Sed si forte usquedum indicatione inspectionis nimis parcus fuissem, in futurum eo largior ero; etsi non semper abbrevationes consuetas subjungam: inspectionis confessio enim saepe jam ex ipsa descriptione animadverti potest.

Hisce rationibus adlatis ill. Censor et Lectores videbunt, me saltem non incurie et sine omni fundamento egisse. Forte mea ratiocinia erronea sunt? Sed hisce innixus, optimum putavi facere, quod feci, ac potui.

Viennae II. Cal. Septembr. MDCCCXXIII.

T.

RUBUS *Linn. omniumque auctorum.*

(Syst. sex. Icosandr. polygyn. A. n. Rosaceae. G. p. Kerria.)

Char. gen. Calyx 5-fidus, laciniis patentibus persistentibus. Cor. parva rosacea. Stam. numerosa calyci inserta. Germina numerosa gynophoro supero conico insidentia. Fruct. Bacca composita ex acinis s. drupeolis unilocularibus monospermis. Sem: oblonga. T.

Distribuendae in 8 series. Species sunt ultra 80, quae sunt frutices, vel herbae, nulla arborea; per omnes terrae plagas dispersae, ita tamen, ut principales et magis originariae ad fines orientales totius Asiae et Australasiae domicilari, atque ex his regionibus occidentalibus propriae ulteriores exortae fuisse videantur. Species americanae partim propriae et originariae (veluti odoratus, spectabilis) partim ab europaeis descendentes (veluti jamaicensis, canadensis etc.) numero longe non aequant illas veteris Continentis, elegantia superant. Utilissimas et maxime alimentarias producunt regiones alte septentrionales.

Usus multorum, imo plurimorum alimentarius est, paucorum ornamentarius, nonnullorum medicinalis, aliorum tinctorius. In hortis prae ceteris coluntur: R. odoratus, idaeus, rosaefolius, laciniatus, arcticus, Chamaemorus etc. Species abnormes praecipuae sunt: R. apetalus (defectu petalorum), R. laciniatus (foliis), R. saxatilis (acinis distinctis), R. acaulis (defectu caulis), R. Chamaemorus (dioicus), R. radicans (habitu penitus originali), R. odoratus (magnitudine ac elegantia florum), et R. pyrifolius (petalis Ribeos).

Nomen derivandum a Rubore, quod fructus, saltem immaturi rubeant, alii a Celtico Rub, radice, de Rubor, Rubere, et Synonimo de Rhudd (unde Rhus). Inde etiam vocabula graeca Ροα, Ροδον, et ipsum celticum Rhos (Rosa) derivantur. V. A. de Théis Glossaire de Bot. art. Rubus, Rhus, Rubia, Rosa etc.

SERIES I.

W E I H E A N A.

Frutices validiores, armati; folia pinnata; flores racemoso-paniculati.

Species: R. rosaefolius Smith. fraxinifolius Poir. idaeus L. occidentalis L. mysorensis Roth. Eglanteria T pinnatus Willd. australis Forst. apetalus Poir. strigosus Mich. pensylvanicus Poir. heterophyllus Willd. triphyllus Thunb. parvifolius L.

RUBUS *ròsaefòlius. Smith.*

R. caule teretiusculo, piloso, aculeis recurvis, foliis pinnatis pilosis, foliolis ovato-lanceolatis, duplicato-serratis, pedunculis subunifloris, terminalibus. Spreng. Wissensch. Pflanzenk. p. 508.

R. rosaefolius; foliis quinato-pinnatis, ternatisque, utrinque viridibus, caule petiolisque aculeatis, floribus solitariis. Smith Icon: hact. ined. f. III. no. 60. c. ic. Poir. Encycl. VI. 243.

Rubus borbonicus. Pers. Syn. II. 51. Poir. Encyclop. Suppl. IV. 696.

Rubus Commersonii. Poir. Encycl. VI. 240.

Rubus tomentosus. Bory de St-Vinc. Voy. II. 378.

Caulis fruticosus, teres, pubescens, aculeatus; aculeis flavescentibus, apice recurvis. Folia pinnata; foliolis plerumque quinis, (nos vidimus fere semper septenis!) subsessilibus, ovatis, acutis, duplicato serratis, utrinque viridibus, subpilosis; impari maximo, elongato, petiolato. Petiolus communis canaliculatus, pilosus, aculeatus, aculeis parvis aduncis. Stipulae binae, lineares, acutae, angustissimae. Pedunculi solitarii, (sed etiam terminales ad 2, 3 vidimus!) oppositifolii, unciales, patentes, pilosi, uniflori. Bracteae nullae. Calyx profunde quinquefidus, laciniis ovatis, longius acuminatis, integris, utrinque pubescentibus. Petala calyce paulo breviora, subrotunda, unguiculata, alba (?) Filamenta petalis dimidio breviora. Antherae subrotundae, parvae. Germina parva numerosissima. Styli breves. Stigmata obtusa. Fructus globosus, ex acinis numerosissimis glabris compositus, neque valde succulentus videtur. Smith.

Hab. in insulis Mauritii et Java. In fidem Sprengelii adduxi Synonimon R. Commersonii, qui tamen secundum Poiretium debet habere caulem glabrum, subangulosum, aculeos fere rectos, foliola terminalia sublobata; flores etiam terminales subsolitarios, petala calyce fere longiora alba, fructus rubros magnitudine R. idaei minus gratos. Nihilominus cel. Poiret ipse in Enc. Suppl. IV. 693. R. Commersonii pro Synonimo praesentis declarat. T.

RUBUS *rosaefolius coronarius.*

Distinguitur floribus terminalibus, maximis, plenis, pannosis, candidis, stipulis lanceolatis serratis, aculeis saepius rectis, rarioribus; foliolis majoribus. T.

Flores simillimi illis Rosae albae. In hortis anglicanis communiter Rubus sinensis vocatur; sed auctoritas, cui haec denominatio innititur, ignota; imo potius planta primum ex India orientali in Angliam translata fuit. Icon in Botan. Mag. t. 1783. Conspectus hujus plantae magis confirmat intimae affinitatis ideam Rosae ac Rubi, quam ullius alterae. T.

RUBUS *fraxinifolius. Poir.*

R. ramis glabris teretibus, aculeis raris, foliis septenato-pinnatis, utrinque glabris, foliolis ovato-acuminatis, inciso-serratis, paniculae ramis filiformibus glabris. Spreng.

Rubus fraxinifolius. Poiret Encycl. VI. 242. Sprengel wissenschaftl. Pflzuk. p. 510.

Frutex ramis teretibus, lucidis, glaberrimis, subrubentibus, vix aculeatis; foliis alternis, pinnatis, petiolatis, 2—3jugis, foliolis ovato-lanceolatis, subsessilibus, oppositis, 3—4 pollices et ultra longis, ad minimum 1½ poll. latis, utrinque glabris, subtus paullo minus viridibus, inciso-serratis, acuminatis; petiolorum aculeis paucis recurvis; folium supremum saepe simplex, stipulae setaceae. Florum paniculae terminales, amplae; bracteae oblongae, incisae, apice subulatae. Pedicelli longi, filiformes, uniflori, floribus albis; calycis segmentis ovato-lanceolatis, glabris extus viridibus, intus albidis. Petala vix calycem excedentia, rotundata, minute unguiculata. Fructus magni, globosi, compositi; semina plurima.

Hab. in insula Java, ubi lecta a Commersonio, et in herbario Jussieuano Parisiis conservatur.

RUBUS *idàeus. L.*

R. foliis quinato-pinnatis, ternatisque, supra glabris, subtus albido-tomentosis, aculeis rectis, petiolis canaliculatis, floribus racemosis, laciniis calycinis reflexis. Spreng.

Rubus idaeus. Willd. Spec. pl. II. 1081. Poir. Encycl. VI. 239. C. Spreng. wiss. Pflzk. p. 503. Wallroth Sched. crit. I. 226. Hayne Dendr. Fl. Berl. p. 105. Guimpel deutsche Hlzart. I. p. 128. t. 97. Fl. Dan. V. 788.

Frutex ramosissimus 5—6pedalis; rami debiles, subrotundi, aculeis parvis vix laedentibus muniti. Folia alterna, pleraque ternata, intermixtis paucis quinato-pinnatis; foliola ovata, saepius oblonga, acuminata mediocriter magna, supra laete viridia, subtus cano-tomentosa, irregulariter dentato-serrata, dentibus submucronatis; petioli subinermes canaliculati. Flores terminales, lateralesque sparse paniculati; pedunculi villosi, sparsim aculeolati. Calycis laciniae in flore patentes, cuspidatae, in fructu tandem reflexae. Baccae compositae magnitudine cerasi, subpubescentes sordide e caerulescenti rubrae, odore specifico exquisite fragrantes et deliciosae. Varietates habentur plurimae, uti eas praebent omnes plantae hominis servituti subjectae, v. gr. fructibus rubris, albidisve; inermis, tenuis, herbacea, floribus plenis etc.

Hab. in lapidosis nemorosis omnium Europae regionum, et colitur in hortis. Nomen triviale a monte Ida in Natolia, ad cujus pedem Troja sita fuerat. T.

RUBUS *òccidentàlis. L.*

R. caule tereti glabro pruinoso, aculeis recurvis alternis, petiolis teretibus aculeatis, foliis ternatis, ovato-acuminatis, incisis, argute duplicato-serratis, subtus tomentosis. Spreng.

Rubus occidentalis. L. Sp. pl. 706. Willd. Sp. pl. II. 1082. Ej. berl. Baumz. ed. 2. p. 407. Hayne dendr. Fl. p. 106. Ait. h. k. ed. 2. III. 268. Poir. Enc. VI. 244. Pursh Fl. Amer. sept. ed. 2. I. 247. Michaux Fl. bor. amer. I. 297.

Rubus Idaeus fructu nigro. Dill. h. elth. p. 327. t. 247. f. 319.

Caulis fruticosus, teres, laevis, aculeis recurvis compressis basi dilatatis, caerulescenti-pruinosus. Petioli semiteretes supra tenue canaliculati, subtus rarius aculeolati. Folia ternata, ovata, basi breviter attenuata, antice longe acuminata, sublobata, argute, inaequaliter vel duplicato-serrata, rugosa, supra viridia, subtus albo-tomentosa, foliola lateralia sessilia; stipulae lineari-subulatae. Racemus terminalis pauciflorus. Flores parvi. Calyx reflexus; petala alba, calyce fere minora, angusta, apice emarginata. Fructus niger, vel etiam ruber, similis illi R. fruticosi. T.

Differt imprimis a R. idaeo, cui simillimus: foliis saepius ternis, quamvis lateralia foliola saepe duo evadant, et tum quinatis, nec pinnatis: foliolis lateralibus saepius angulatis: aculeis alternis (sparsos tantum video. T.), recurvis nec sparsis et confertis. Petioli etiam aculeati, sed primo intuitu nebula caerulea caulis dignoscitur. Willd. l. c.

Hab. in petrosis et montosis situationibus a Canada usque Carolinam.

RUBUS *mysorènsis. Roth.*

R. foliis septenato-quinatoque-pinnatis, supra costato-subplicatis, rugulosis, pubescentibus, subtus niveo-tomentosis; foliolis ovato-acuminatis, duplicàto-inciso-acute serratis; terminali subtrifido, caule, petiolis pedunculisque aculeatis. Roth.

Rubus mysorensis. Roth. Nov. Plant. Spec. ex Coll. D. B. Heynii p. 235.

Caulis teres, atropurpureus, subangulosus, aculeis rectis, rufescentibus, sesquilineam ad duas lineas longis adspersus. Rami juniores cinereo-pubescentes. Folia alterna, pinnata cum impari, trijuga, supra costato-subplicata, rugosa, pubescentia, subtus niveo tenuissimoque tomento tecta, venis rectilineis. Foliola ovato-acuminata, brevissime petiolata, duplicato-inciso-acute serrata unciam ad sesquiunciam fere longa: impari latiore obsolete trifido. Petiolus communis cinereo-tomentosus, aculeis subcurvis subtus adspersus. Stipulae oppositae, lineari-lanceolatae, adpressae, pubescentes. Racemi ad caulis ramorumque summitatem axillares, subcorymbosi. Pedunculi tri-seu quadriflori, petiolo breviores, cum pedicellis niveo-tomentosi, aculeis adspersi. Bracteae lineares. Calyx niveo-tomentosus: laciniis lanceolatis, mucrone cartilagineo, fusco, glabro terminatis. Petala calyce vix longiora. Fructum non vidi. Roth.

Hab. in Mysore, in India orientali, detecta a Drc. Benj. Heyne. Affinis R. idaeo.

RUBUS *Eglantèria.* T.

R. caule fruticoso, rotundo, glabro, aculeato, foliis pinnatis, foliolis cordato-oblongis, duplicato-serratis, utrinque glandulosis, pubescentibus; floribus solitariis, axillaribus. T.

Caulis fruticosus, rotundus, purpurascens, glaberrimus; aculei sparsi, recurvi, imo uncinati, parvi, sed fortes. Ramuli laterales perpauci, potius pedunculi elongati, uno alterove foliolo solitario muniti. Stipulae lineares, tenuissime serratae; petioli pubescentes vel hirti, aculeatissimi; foliola 5, aequalia, 2 pollices longa, basi semipollicem lata, apicem versus aequaliter decrescentia et acuminata, basi cordata, utrinque sparse pubescentia, sed glandulis nitidis odoratis cooperta, margine argute duplicato-serrata; in foliolo terminali subtus tota costa media aculeata, in lateralibus solummodo basis. Pedunculi solitarii axillares, 1—4 pollices longi, raro bractea instructi, aculeati, uniflori. Flores magnitudine Fragariae vescae. Calyx quinquefidus, laciniis concavis, ovatis, acuminatis, extus tomentosis. Petalorum in floribus plurimis ne minimum quidem rudimentum conspici potest. Stamina plurima limbo calycis inserta. Antherae violaceae. Stigmata innumera in conum congesta, adeo ut flores discum Cotulae vel Rudbeckiae referant, videntur atropurpurei, stylis fulvis.

Observavi in Musaeo Caes. Reg. in collectione plantarum e Nova Hollandia, nescio a quo lectarum, nullisque nominibus instructarum. Patria ergo sine dubio est nova Hollandia. Affinis R. pinnato; sed differt floribus omnibus axillaribus, determinate unifloris. A R. rosaefolio, cui simillimus, differt foliolis basi cordatis, et pedunculis axillaribus. T.

RUBUS *pinnàtus. Willd.*

R. râmis villosis, aculeis recurvis, foliis quinatis ternatisque, rugoso-venosis, duplicato-serratis, utrinque glabris, nervo medio aculeato, pedunculis racemosis calycibusque villosis. Spreng.

Rubus pinnatus. Willd. Sp. pl. II. 1081. Ait. h. k. ed. 2. III. 270. Poir. Enc. Suppl. IV. 696. Spreng. Wiss. Pflzk. p. 508.

Rami villosi, virides, aculeis uncinatis obsiti. Folia quinato-pinnata, superiora ternata. Foliola ovato-lanceolata, viridia, utrinque glabra, rugoso-venosa, argute duplicato-serrata, ut petioli subtus, ad costam mediam aculeata. Racemus terminalis simplex. Pedunculi villosi, valde aculeati. Calycis villosi laciniae petalis longiores. Affinis videtur R. australi, sed flores hermaphroditi, et racemus terminalis. Willd.

Hab. ad promontorium bonae spei, et in insula Stae Helenae. ♉.

RUBUS *australis. Forst.*

R. caule glabro teretiusculo, aculeis ramorum secundis recurvis, foliis ternatis utrinque glabris, ovalibus, argute dentatis, subcoriaceis, floribus racemosis dioeciis, sepalis obtusis patentibus. Spreng. Wiss. Pflanzenk. p. 508.

Rubus australis: fruticosus, dioicus, foliis ternatis quinato-pinnatisque, caule petiolisque aculeatis, racemis axillaribus simplicibus. Forst. florul. insul. austral. prodr. p. 40.

In specimine sicco Musei Caesarei sequentia observo: Caulis fruticosus robustus, cortice atropurpureo longitudinaliter et tenuiter sulcato. Aculei ramorum sparsi, nec secundi, parvi sed fortes, recurvi; petioli 3—4 pollices longi, lignosi, armati aculeis non minoribus subsecundis, recurvis. Pedicelli irregulares longitudine, adeo ut terminalis modo sit longissimus, modo ceteris omnibus brevior. Foliola ternata ad formam pinnatam accedunt; ubi vero 4—5 adsunt, tunc potius flabellata, seu unico puncto adfixi conspiciuntur; ceterum ovalia atque ovata in eodem specimine, acuminata, margine argute inaequaliter serrato-dentata, illis Castaneae vescae simillima, coriacea, supra glauca, subtus ferruginea, utrinque glabra, nervo principali, uti et pedicelli frequenter aculeata. Racemi axillares subramosi 2—2½ pollicem longi; pedunculis pedicellisque hirsutissimis, glandulosis et aculeatissimis, praesertim ad basin calycis. Flores natura apertos non vidi. In planta foeminea, in artificialiter apertis, nulla vidi petalorum rudimenta. Gemmae globosae tomentosae, inermes, glaucescentes. T.

RUBUS *apètalus. Poir.*

R. ramis teretiusculis, pubescentibus, aculeis sparsis, foliis septenato-pinnatis, subtus albido-tomentosis, foliolis ovalibus, serrulatis; racemi axillaris ramis pubescentibus, floribus apetalis.

Rubus apetalus. Poir. Encycl. VI. 242. C. Spreng. Wissensch. Pflanzenkunde. p. 510.

Rami subcylindrici, parumper compressi, pubescentes, armati aculeis rubris. Folia alterna, pinnata 2—3juga; foliolis ovato-subrotundis, subpedicellatis, supra glabris, subtus albo-tomentosis, margine serrulatis, 2—3 pollices longis 1—1½ poll. latis; terminali maximo, saepius trilobo; petiolis aculeatis. Racemi breves, densi, terminales atque axillares. Pedunculi, calycesque albo-tomentosi. Calycis laciniae lineari-lanceolatae, acuminatae, patentes. Petala in herbario Jussieuiano in speciminibus a Commersonio lectis nulla aderant, et cell. Aubert de Petit-Thouars, qui hanc plantam in Insula Franciae saepissime spontaneam observaverat, Poiretio solenniter affirmavit, se nunquam petala in hac specie vidisse. In fructibus paucissimae baccae.

Hab. in planitiebus, nec non in collibus Caffreriae et Insulae Franciae, ubi detecta et lecta fuit a Commersonio. ♄.

RUBUS *strigòsus. Mich.*

R. inermis rigide hispidissimus; foliolis ternis, aut pinnato-quinis, ovalibus (ovatis), basi obtusis, subtus lineatis et candido-tomentosis; impari saepius subcordato. Mich.

Rubus strigosus. Michaux Fl. bor. Am. I. 297. Pursh. Fl. Am. sept. ed. 2. I. 346. Poir. Encycl. VI. 243. Hayne Dendr. Fl. v. Berl. p. 106. C. Spreng. Wiss. Pflzk. p. 511.

Frutex ramis elongatis, multifidis inermibus, rigide hispidissimis. Folia petiolata, foliolis ternatis vel pinnato-bijugis basi dilatatis, apicem versus sensim attenuatis, subtus albo-tomentosis, nervis prominentibus lineatis, margine dentatis. Foliolum terminale ut plurimum basi cordatum, lateralia saepe bijuga, nec digitata. Petioli, pedunculi, nervi foliolorum primarii et calyces plurimis setis rigidis, nigris muniti.

Hab. in montibus Pensylvaniae et in Canada. Fructus deliciosi. Etsi cell. Poiret ipse (in Encycl. Suppl. IV. p. 695.) R. strigosum cum R. pensylvanico identicum declaret, tamen haec identitas nondum sufficienter demonstrata videtur, cum descriptiones amborum in multis divergant. Saltem, quibus opportuna dabitur occasio, in vivis examinandae sunt plantae, et certius statuendum, an species distinctae sint, nec ne?

RUBUS *pensylvànicus. Poir.*

R. foliis ternatis; foliolis ovato-lanceolatis, subtus tomentosis; calycibus intus niveo-sericeis, ramis spinosissimis. Poiret.

Rubus pensylvanicus. Poir. Enc. VI. 246.

Caulis fruticosus et rami striati rubro-fuscescentes, glabri, superne subflexuosi aculeis validis et sat numerosis-muniti. Folia alterna, petiolata, ternata; foliolis ovato-lanceolatis, supra viridibus, subtus pubescenti-tomentosis, serratis, acuminatis, sesquipollicem longis, 8—10 lineas latis, lateralibus sessilibus, terminali petiolato paullo majori, petiolis pubescentibus, aculeatis. Flores in racemis terminalibus axillaribusque; pedicellis tomentosis, aculeis bracteisque parvis ovatis acuminatis stipatis. Calycis laciniae ovatae, obtusae, extus virides, intus et margine albo-tomentosae. Corolla alba, calyce major; petala ovato-subrotunda, obtusa.

Hab. in Pensylvania; habetur in herbario Jussieviano, communicatum specimen a b. Vahlio. Pursh et Sprengel hanc speciem conjungunt cum R. strigoso Mich. Ast minime idem esse potest; nam R. strigosus inermis est, et reliqua omnia contradicunt. T.

RUBUS *hèterophyllus. Willd.*

R. caule procumbente, subangulato, glabriusculo, aculeis raris recurvis, petiolis pedunculisque racemosis, inermibus, villosis, foliis ternatis glabriusculis, profunde serratis, calyce tomentoso, reflexo, petalis integris. T.

Rubus heterophyllus. Willd. Berl. Bmz. ed. 2. p. 413. Spreng. Wissensch. Pflanzenk. p. 507.

Rubus villosus. Torrey in Catal. noveborac. p. 47.

Hab. ad novum Eboracum (New-York) in America septentrionali. Cel. Curt. Sprengel l. c. dicit, R. triphyllum esse meram hujus varietatem; quod tamen mihi minus verosimile apparet. Quis enim quaereret in Japonia varietatem speciei, ceterum in sola provincia noveboracensi Americae septentrionalis indigenae? Sed praeterea folia subtus albo-tomentosa et pedunculi hispido-aculeati sufficienter R. triphyllum a praesenti distinguere videntur. R. tetraphyllus in Linkii Enum. hort. berol. ed. alt. II. p. 62. sine dubio nil aliud, quam praesens R. heterophyllus est, nomine per errorem sive scriptorium, sive typographicum alienato. T.

RUBUS *triphyllus. Thunb.*

R. foliis ternatis, subtus tomentosis, foliolis ovatis incisis, dentatis; ramis petiolis pedunculisque villosis aculeatisque. Thunb.

Rubus triphyllus. Willd. Sp. pl. II. 1082. Thunb. Japon. p. 215. Poir. Encycl. VI. 245.

Rubus parvifolius. Kerr in Edwards Bot. Reg. no. 496.

Caulis suffruticosus, glaber, aculeatus. Rami debiles, flexuoso-erecti, aculeati, villosi. Folia petiolata, ternata. Foliola obovata, subangulata, inciso-dentata, dentibus magnis, subsetiferis, supra glabra, subtus tomentoso-alba. Petioli et pedunculi villosi, aculeato-hispidi. Flores in ramulis terminales subpaniculati. Calyces tomentosi, hispidi. Thunb. l. c.

Hab. in Japonia. Affinis R. parvifolio. Non confundendus cum R. triphyllo Bellardi, qui forte idem est ac R. tomentosus. v. Poir. Enc. Suppl. IV. 694.

Folia superiora ternata et simplicia, inferiora pinnata, foliolis obovatis, rhombeis, vel subrotundis, terminali maximo, 3—5 lobo, inciso-dentato. Stipulae axillares, lineari-subulatae. Aculei copiosi. Calyx patens; sepalae inaequales; petala purpurea, stricta, erecta, conniventia, spatulato-orbiculata.

RUBUS *parvifòlius. L.*

R. foliis ternatis, pinnatisque, foliolis ovatis, acuminatis, inaequaliter argute-dentatis, nervosis, subtus albo-tomentosis, aculeatis; caule hirto, petiolisque sparse aculeatis, aculeis parvis, recurvis; paniculis laxis terminalibus. T.

Rubus parvifolius. L. Sp. pl. 707. Willd. Sp. pl. II. 1083. Pers. Syn. II. 51. Poiret Encycl. VI. 246. C. Spreng. Wiss. Pflzk. p. 509. Lour. Coch. I. 398.

Rubus Moluccus parvifolius. Rumph Amboin. V. p. 88. t. 47. f. 1.

Frutex flagellis diffusis, procumbentibus, atque scandentibus hirtis, sparse aculeatis. Folia alterna ternata, paucis pinnatis, foliolis ovato-lanceolatis, acuminatis, 3 uncias longis, ultra unciam latis, supra viridibus, subtus albo-tomentosis et ad nervos primarios aculeatis, margine inciso-dentatis, serratisve. Panicula laxa terminalis, bracteis oppositis, ovatis, exiguis munita. Calyces tomentosi, laciniis lato-ovatis, acutis; petala purpurea. Fructus rubri, secundum Rumphium illis Rubi idaei similes, sed molliores, intus cavi et aquosi sunt. T.

Hab. in insula Amboina, in China et Cochinchina, sylvaticus. Proxime affinis Rubo fraxinifolio; sed folia minus composita, foliola minora, nec utrinque glabra; aculei numerosiores, in ipsis foliolis observandi. Cave, ne confundas cum R. parvifolio Walt. qui merum R. cuneifolii Pursh. Synonimon constituit.

SERIES II.

H A Y N E A N A.

Folia digitata, vel ternata, lobata, inciso-serrata, pilosa; foliola ovata, vel cordata; caules et rami aculeati; flores paniculati, vel racemosi; flagella sterilia; frutices validi.

Species: R. laciniatus. Willd. R. corylifolius. Smith. R. glandulosus. Bell. R. Schleicheri. Weihe. R. hirtus. W. K. R. rhamnifolius. W. N. R. nitidus. W. N. R. cordifolius. W. N. R. affinis. W. N. R. bifrons. Vest. R. digitatus. Spreng. R. plicatus. W. N. R. appendiculatus. T. R fruticosus. L. R. pubescens. Vest. R. collinus. De Cand. R. fastigiatus. W. N. R. althaeifolius. Host. R. nemorosus. Willd. R. Sprengelii. Weihe. R. ferox. Vest. R. paniculatus. Schlechtend. R. sulcatus. Vest. R. caesius. L.

RUBUS *laciniàtus. Willd.*

R. caule subangulato, aculeis recurvis, foliis quinato-digitatis, ternatisque, subtus pilosis, foliolis pinnato-incisis, calycibus reflexis, aculeolatis, petalis trilobis. Spreng.

Rubus laciniatus. Willd. Enum. I. 550. Ejusd. Hort. berol. no. 82. Hayne Dendr. Fl. p. 109. C. Spreng. Wiss. Pflzk. p. 506.

Caules fruticosi, erectiusculi, quadripedales et longiores, ramis dependentibus subangulatis, ut petioli, undique aculeatis. Aculei compressi, recurvi, acuti. Folia ternata, vel digitato-quinata. Foliola petiolata, supra saturate viridia, subtus pallidiora, pubescentia, venis aculeata, pinnata: pinnulis sessilibus lanceolatis, inciso-dentatis, terminali tripartita, inciso-dentata. Flores albo-incarnati, racemoso-paniculati. Calyx monophyllus, quinquepartitus, laciniis ovatis appendiculatis, vel tricuspidatis pubescentibus, externe aculeis acicularibus sparsis obsitis. Corolla pentapetala patens, petalis obovatis tridentatis. Bacca composita, nigra, acidula, magnitudine fructus R. fruticosi, acinis subrotundis monospermis. Semina oblonga. Receptaculum conicum spongiosum.

Patria ignota. Videtur proles culturae; e seminibus natus constanter formam conservat. Willdenow R. fruticoso proximam credit speciem; cel. Wallroth (in Sched. crit. p. 231 pro varietate R. corylifolii declarat.

RUBUS *còrylifòlius. Smith.*

R. caule erecto teretiusculo, aculeis confertis rectiusculis, foliis quinatis subtus pubescentibus, lateralibus sessilibus, calyce fructus subreflexo. Spreng.

Rubus corylifolius. Smith Fl. britt. II. 542. Engl. bot. 827. Ait. h. k. ed. 2. III. 268. Spreng. wiss. Pflanzk. p. 504. Willd. Enum. I. 550. Guimpel deutsch. Holzarten. I. p. 135. t. 102.

Rubus major fructu nigro. Schmiedel Icon. et Anal. I. t. 2.

Caulis (quod in definitione corrigendum videtur) obtuse pentagonus 2—5pedalis, sarmentis sterilibus usque 10-pedalibus, vix pubescens; aculeis sat numerosis, recurvis. Folia quinata, ternata et simplicia; haec subsessilia summa; reliqua petiolata, stipulis linearibus liberis, petiolis aculeatis; foliolis lateralibus in ternatis, pari inferiori in quinatis sessilibus, ovatis, duplicato-serratis, acuminatis, rugosis, utrinque virentibus, villosis, subtus pallidioribus; terminali maximo 2—3 pollicari. Flores paniculati, copiosi, terminales axillaresque in summitatibus ramorum fertilium; magnitudine mediocres, albi, saepe etiam rosei, petalis undulatis subspatulatis. Fructus sat magni, maturitate nigri, pruina caerulescentes. Variat ramulis et foliolis fere glabris.

Hab. per omnem Europam in sepibus, fruticetis et ad margines sylvarum subhumentium. A R. fruticoso, quocum saepius permixtus fuerat, differt caule pentagono, aculeis frequentioribus; foliolis majoribus, utrinque viridibus et villosis, foliolis lateralibus infimis sessilibus, fructibusque majoribus nigris. Variat aculeorum copia et magnitudine, floribus quoque et foliis majoribus, pedunculisque vix tomentosis. T.

RUBUS *glandulòsus. Bell.*

R. caule angulato, aculeis rectiusculis subreflexis, foliis ternatis, subrotundo-ovatis, acuminatis, mucronato-serratis, glabris, ciliatis, venis subtus pubescentibus, caule, petiolis, pedunculis, calycibusque glanduloso-hispidis. Spreng.

Rubus glandulosus. Bellard app. ad flor. pedem. p. 24. Willd. Enum. 548. Ej. Berl. Baumz. ed. 2. p. 410. Baumgart. fl. transsylv. II. 56. Spreng. wissensch. Pflanzenk. p. 505. Poir. Enc. Suppl. IV. 694. Guimpel deutsch. Holzart. I. p. 131. t. 99.

Rubus hybridus. Vill. Dauph. III. 559. Lapeyr. fl. pyr. p. 286. Wallroth Sched. crit. I. p. 229.

Caulis fruticosus, angulatus, passim sarmentosus; rami rubri, petioli pedunculique cooperti setis glanduliferis, intermixtis aculeis minutissimis; Folia ternata, suprema simplicia; foliola sat magna, ovato-rotundata, duplicato — vel inciso — serrata, inferiora obtusa, terminali plerumque acuminato, superiora omnia acuta; stipulae rectae, lineares; flores racemoso-corymbosi, albi; calyx glanduloso-hispidus; petala plana obovata; bracteae lineares tomentosae, longitudine pedicellorum. Fructus griseo-nigricantes.

Hab. in subalpinis Pyrenaeorum, nec non in Gallia, Italia septentrionali, Germania, Transsylvania. Variat tomento foliorum plus minus albido, velutino, setis paucis vel nullis glanduliferis, petalis linearibus, ovatis, elongatis.

Affinis R. nemoroso, et corylifolio. Quidam R. tomentosum cum hoc permiscere videntur. Cel. Wallroth in Sched. crit. ad Fl. hal. p. 231. R. glandulosum cum pluribus aliis ut varietatem refert ad R. corylifolium.

RUBUS *Schleichèri. Weihe.*

R. caule tereti aculeatissimo, foliis ternatis, inferioribus ovatis, attenuatis, superioribus subrotundis inaequaliter serratis, ciliatis, utrinque vix notabiliter pubescentibus, racemis simplicibus paucifloris, villosis, calycibusque minutissime glanduloso-hispidis. T.

Aculei caulis uncinati, rubentes, maxime inaequales, copiosissimi. Folia inferiora magna, ternata, aequalia, lateralibus brevi petiolatis. Petioli et nervi principales muniti aculeis copiosissimis, uncinatis, rectis, majoribus minoribusque. Stipulae basi adnatae, tandem divergentes. Aculei ramulorum florentium pallidi parvi, recti, retrorsum spectantes. Foliola superiora, ovata et subrotunda, partim obtuse dentata, partim argute serrata, suprema simplicia; lateralia sessilia, basi saepius lobato-appendiculata, Flores non magni, albi; bracteae lineares, villosae, simplices et appendiculatae; calyces caesio-tomentosi albo-marginati, cuspidati; petala obovata, emarginata, imo tridentata, calyce majora.

Vidi siccum ex Helvetia missum sub hoc nomine in herbario cel. Dris. de Portenschlag. Cumque alias notiones de hac specie recuperare non poteram, interim ipse designavi, quantum valui. Affinis R. glanduloso. T.

RUBUS *hirtus. W. K.*

R. caule subangulato, aculeis subrecurvis setisque confertis rubicundis, foliis ternatis, cordato-ovatis, inaequaliter serratis, hirtis, nervo medio subtus aculeato, pedunculis inermibus, calycibusque glanduloso-pilosis. Spreng.

Rubus hirtus. Waldst. Kitaib. rar. Hung. II. p. 150. t. 141. Willd. Enumer. I. 549. Ejusd. berl. Baumz. ed. 2. p. 413. Baumgarten Fl. transsylv. II. 55. Spreng. wissensch. Pflanzenk. p. 506.

Caulis plerumque herbaceus, vel basi tantum lignescens, florifer 1—2pedalis, suberectus, debilis, sterilis 4—5pedalis, procumbens et radicans, undique setis pilisque glanduliferis purpurascentibus hirtus, aculeis sparsis, parvis subrecurvis. Folia ternata, rarissime quinata, petiolis cauli conformibus; stipulae lineares glandulosae, supra basin petiolo insidentes. Foliola petiolata, cordato-ovata, integra, suprema saepius elliptica vel et obovata, lateralibus inaequilateris, inaequaliter et argute serrata, acuminata, venoso-rugosa, utrinque, subtus tamen magis hirta, pilis eglandulosis, nervo medio aculeato. Flores paniculati; pedicelli 3-flori, cauli ceterum conformes, centematosi. Bracteae lineari-lanceolatae, infimae saepius bipartitae vel bifidae. Pedunculi modo inermes, modo aculeati, maxime centematosi. Calyx in flore reflexus, in fructu patens, hispido-glandulosus. Petala alba elliptica, apice emarginata, denticulata, imo etiam mucronata. Bacca composita, rufo-nigra, pubescens, grate aromatica. Caulis sterilis non raro ex axillis inferioribus promit ramos erectiusculos, altero anno instar caulis fructiferi floridos, ac demum peracta fructificatione exarescentes.

Hab. in sylvis Banatus, Transylvaniae et Hungariae passim. A R. glanduloso, cui proximus, differt praesertim caule subherbaceo, foliis hirtis, et calyce floris reflexo. T.

RUBUS *rhamnifòlius. W. N.*

R. caule decurvo, angulato-sulcato, aculeato, glabro, foliis quinatis, suborbiculatis, cuspidatis, subtus cano-tomentosis, panicula composita et decomposita conferta, ramis divaricatis, calycibus patentibus, basi aculeatis. Weihe et Nees.

Rubus rhamnifolius. Weihe et Nees Rubi germanici f. 1. p. 22. t. 6.

Rubus Thouillieri. Poir. Enc. Suppl. IV. 694.

Caulis 15 — 20-pedalis, arcuato-radicans, aetate caerulescens, aculeis sat abundans, basi dilatatis, fortibus, subrecurvis. Folia, praeter summitates ramulorum floriferorum, omnia quinata, longe petiolata, petiolis retrorsum aculeatis. Stipulae lineares. Foliola petiolata, supra glabra, subtus cinereo-tomentosa, sericea, basi integra, margine inaequaliter et argute serrata; terminale longe petiolatum, reliquis majus, magis dilatatum, subcordatum, sublobatum, lateralia ovata vel elliptica. Panicula composita subthyrsoidea; rami paniculae partim uniflori, partim 2 — 3 flori, in campis apertis 3 — 7 flori; inferiores axillares. Bracteae lineares. Pedicelli angulosi, tomentoso-pubescentes, et valde aculeati. Calycis laciniae aculeolis exasperatae, patentes, maturante fructu reflexae, ovatae, apice subulatae, glaucescentes. Petala calyce vix longiora, subrotunda, undulata, alba. Fructus atri, non pruinosi.

Hab. in regionibus Rheno inferiori adsitis, nec non in Bohemia. A R. fruticoso, quocum usquedum permixtus fuerat, differt aculeis recurvis, foliolis latioribus, minus canescentibus, panicula magis contracta, petalis subrotundis, calyce vix longioribus et fructibus majoribus.

RUBUS *nitidus. W. et N.*

R. caule suberecto, angulato, aculeato, glabro, foliis quinatis, ovatis, acutis, planis, supra glabris nitidis, subtus pubescentibus, panicula aculeata subcomposita, calycibus reflexis, basi aculeatis. Weihe et Nees.

Rubus nitidus. W. et N. Rubi germ. no. 4.

Caulis fruticosus angulatus, lateribus planis, glaber, aculeatus, aculeis brevibus rectiusculis, basi dilatatis, ad basin caulis magis confertis, 6—10-pedalis arcuatim declinatus, in solo sterili erectus, humiliorque. Folia quinata. Petioli breviores quam in R. affini, fastigiato et sim. pilosi, aculeati. Foliolum terminale ovatum: omnia supra saturate viridia, nitida, tenuissime pubescentia, subtus apertius pubescentia, inaequaliter, argute, inciso, et duplicato-serrata, acuta. Stipulae eglandulosae. Panicula dichotoma, non ampla, fere fastigiata. Pedunculi et pedicelli valde aculeati et subhispidi. Calycis laciniae subtilissime pubescentes, margine tomentosae, post anthesim reflexae. Petala obovata, rosea. Fructus parvi, nigro-caerulescentes, acidi.

Hab. in agro berolinensi (Hayne), dresdensi et lipsiensi (Reichenbach), et in omni Principatu mindensi. N. et W.

Affinis R. fruticoso, affini et sim. A R. affini difficulter distinguendus.

RUBUS *cordifòlius. W. et N.*

R. caule decurvo, angulato, sulcato, aculeato, glabro, foliis quinatis, cordato-orbiculatis, cuspidatis, subtus e tomentoso canescenti-micantibus, panicula decomposita, inferne diffusa, calycibus patentibus, basi aculeatis. Weihe et Nees.

Rubus cordifolius. Weihe et N. Rubi germ. no. 5.

Caulis fruticosus, arcuatus 15 — 20-pedalis, radicans, angulatus, lateribus canaliculatis, glaber, caerulescens, copiose aculeatus, aculeis recurvatis, basi dilatatis. Folia quinata. Petioli aculeatissimi. Foliolum terminale basi cordatum, latum, duplicato-dentatum serratumque, cuspidatum; lateralia petiolata, basi oblique cordata, posteriora ovata, omnia supra glaberrima, subtus cinereo-tomentosa, inciso-dentata. Panicula terminalis decomposita. Rami primarii ex axillis foliorum ternatorum orti, saepius intermixta habent foliola simplicia. Pedunculi et pedicelli aculeatissimi. Calycis laciniae primum rectae, dein reflexae, ovatae in setam tenuem terminatae, basi tenuissime aculeolatae, margine albo-tomentosae. Petala calyci aequalia, subrotunda, breviter unguiculata, alba. Fructus nigri, subpruinosi.

Hab. prope Vollmardingsen in Principatu mindensi. (Nees et Weihe). A R. affini fere solo augmento et luxirie differt. T.

RUBUS *affinis. W. et N.*

R. caule decurvo angulato, aculeato, glabro, foliis quinatis, cordato-ovatis, cuspidatis, basi planis, apicem versus subundulatis, subtus pubescenti-tomentosis, panicula composita, ramis cymosis, calycibusque nudis reflexis. Weihe et Nees.

Rubus affinis. W. et N. Rubi germ. no. 3.

Caulis fruticosus, quinquangularis, glaberrimus, aculeis validis, subrectis, sed retro spectantibus munitus. Ramuli florentes apice subpilosi. In his aculei potius adunci, magis approximati, imo gemini. Petiolorum aculei valde recurvi, sat numerosi et validi. Folia suprema ternata, ea, quae paniculam intercedunt, saepe simplicia. Stipulae lineares, cuspidatae, villosae. Foliola etiam lateralia notabiliter petiolata, anteriora tamen longius. Paniculae saepe longiores, valde pilosae, initium jam capiunt in foliorum inferiorum axillis instar corymborum, quorum alii simplices, alii subdivisi, longoque omnes pedunculo suffulti; pedicelli tomentosi, suffulti bracteis ovato-lanceolatis, longe cuspidatis, trifidis, coloratis. Calycis laciniae ovatae, cuspidatae, intus et ad marginem tomentosae, extus villosae, inermes. Petala subrotunda, calyce longiora, alba. Fructus parvi, caerulescentes, calyce erecto suffulti.

Hab. in Principatus mindensis dumetis sylvarumque marginibus. Admodum affinis R. fastigiato et plicato; sed et R. digitato et fruticoso. Cell. auctores citati cum hoc etiam conjungunt R. collinum De C. Sed si hunc cum R. affini conjungere vellemus, deberemus etiam R. affinis etc. identitatem cum R. fruticoso agnoscere. T.

RUBUS *bifrons. Vest.*

R. caule obsolete angulato, plano, glabro, ramulis florentibus villoso-pubescentibus, foliis inferioribus quinatis, obovatis, grosse dentatis, superioribus ternatis, subrotundis, omnibus supra glabris, subtus niveo-tomentosis, panicula cymosa, sepalis utrinque cano-tomentosis. T.

Rubus bifrons. Vest in litt.

Frutex sat validus R. affini simillimus. Rami fructificantes 3—4pedales, flagella 12—15pedalia. Aculei copiosi sat validi, plerique reflexi, rectiusculi; illi petiolorum magis recurvi; in pedunculis pedicellisque insigniter longi. Foliola omnia basi cordata, petiolata, petiolis aculeatissimis; stipulae subulatae, hispidae, petiolares, divergentes. Panicula tandem pedalis et ultra ex meris cymis composita; pedunculi pedicellique eglandulosi, colorati, hirsuto-villosi; bracteae lineares, 2—3fidae, simplicesque villosae; sepalae ovatae, cuspidatae, utrinque cano-tomentosae, inermes, eglandulosae; petala alba vel rubella obovata breviter unguiculata, vix emarginata. Fructus nigri, saepe maximi. Reliqua ut in R. affini.

Hab. in Stiria. Detexit et communicavit cell. Prof. Laur. de Vest.

RUBUS *digitàtus. Spreng.*

R. foliis quinato-digitatis, pilosis, foliolis ovatis, laciniato-dentatis, dentibus acuminatis, aculeis recurvis, calyce tomentoso. Spreng.

Habeo ex horto kewensi exemplar non satis perfectum, quod certe cum nulla alia specie congruit notisque indicatis characterem specificum prodit. Petioli pedunculique subhirti, aculeis firmis recurvis obsiti. Folia quinato-digitata: foliola petiolata, ovata, pollices duos longa, et fere aeque lata, utrinque hirsuta, in profundos dentes laciniasque divisa: dentium laciniarumque apex acuminatus. Pedunculi foliosi, subuniflori: calyces tomentosi, Cetera non inveni. C. Spreng. Pugill. 1. plant. min. cognit. p. 34.

Ill. auctor hanc speciem in sua monographia de Rubo (v. wissenschaftl. Pflanzenkunde p. 501—516.) silentio praeteriit. An ergo forte non amplius speciem agnoscit? Permulta de hac desiderantur, veluti habitus, flores, fructus, tempus florendi et maturandi, locus natalis, patria etc. Affinis interim videtur R. affini Neesii. (v. Ejusd. Rubi german. fasc. 1. no. 3.) T.

RUBUS *plicàtus. Weihe et Nees.*

R. caule suberecto, anguloso, aculeato, glabro, foliis quinatis, cordato-ovatis, cuspidatis, plicatis, supra glabriusculis, subtus pubescentibus, panicula subsimplici, calycibus basi nudis, demum reflexis. W. e. N.

Rubus plicatus. W. et N. Rubi germ. f. 1. no. 1.

Rubus fruticosus. Fl. d. Wetterau. II. 236. Willd. prodr. Fl. berol. p. 140. Du Roi Harbk. Bmz. ed. 2. I. 372.

Rubus corylifolius. Schultz Fl. starg. p. 131. Suppl. p. 29.

Caulis angulosus, glaber, aculeis rectis sparsim munitus, ad 4 ped. altitudinem erectus, in umbra altior. Folia quinata, foliolis consueto modo petiolatis et sessilibus, terminali cordato, lateralibus anterioribus subcordatis, posticis ovatis; omnibus cuspidatis inaequaliter, argute et duplicato, incisoque serratis et plicatis, supra nitentibus glabris, subtus pubescenti-tomentosis, subincanis; petioli pilosi, et numerosis aculeis aduncis muniti. Rami florentes erecti. Flores racemosi, rarius paniculati vel cymosi. Pedunculi pilosi et aculeatissimi. Petala candida, obovata, rotundata, calyce majora. Fructus mediocres, drupeolis majoribus, atris, nitidis, acidi.

Hab. per totam Germaniam. Differt a R. fruticoso caule erecto, aculeis rectis, foliolis extimis cordatis, et plicatis.

RUBUS *appendiculàtus.* T.

R. caule decumbente angulato, glabro, aculeis sparsis subrecurvis, proportionate validis; ramulis floriferis pubescentibus; foliis ternatis, et plurimis simplicibus; foliolis admodum diversis, argute inaequaliter serratis, plicatis, subtus pubescentibus, racemis simplicibus, calycibus appendiculatis. T.

Videtur frutex magnus procumbens, caule purpureo. In speciminibus siccatis nullum vidi folium quinatum. Ramuli floriferi adscendentes, copiosi. Stipulae lineari-lanceolatae, pubescentes, liberae, subdentatae; petioli villosi, aculeati, canaliculati. Foliola in ternatis obovata imo cuneata, basi integerrima, antice argute, inaequaliter serrata, obtuse acuminata, plicata, saturate viridia, suffusa quadam rubedine, supra vix pubescentia, subtus pallidiora, aperte pubescentia, nonnulla subtomentosa; floribus interjecta fere omnia simplicia, petiolata, obovata, elliptica, cordata, triloba, aliaque. Panicula seu racemus simplex, erectus, pedunculis patentibus, elongatis tomentosis. Bracteae inferiores trifidae, superiores simplices vel inciso-dentatae. Flores magni erecti; calyces extus fuscescentes villosi, intus et margine cano-tomentosi; laciniae ovatae, apice appendiculatae foliolo lanceolato, nonnunquam basi dentato, viridescente; petala obovata, rotundata, calyce majora, alba. T.

Vidi in herbario cel. Dris. de Portenschlag lectum ante 8 annos in Hungaria prope Lyndwa in Comitatu castri ferrei in apricis, sub nomine R. cuneifolii. Cum autem jam cuneifolius alter a Purshio publicatus sit, nomen mutari debuit. Affinis videtur R. plicato. Nomen cum consensu cel. detectoris derivatum ab appendicibus calycis, quae quidem in genere Rosarum admodum consuetae sunt, in illo autem Ruborum vix similes habent. T.

RUBUS *fruticòsus. L.*

R. caule decurvo, angulato, sulcato, aculeato, glabro, foliis quinatis, ovato-oblongis, acutis, subtus albo-tomentosis; panicula decomposita, angusta, stricta, calycibus reflexis, subinermibus. Nees et Weihe.

Rubus fruticosus. Linn. hort. Cliff. p. 446. Nees ab Esenb. Rubi german. f. 2. no. 7. Smith fl. britt. II. 543. Guimpel deutsch. Holzart. I. p. 136. t. 103. Ait. h. k. ed. 2. III. 269.

Rami steriles flagelliformes angulati, canaliculati 15 — 20 pedales, aculeis recurvis parce obsiti; frutificantes breviores et magis erecti. Folia, in sterilibus, quinata, in floriferis pleraque ternata, suprema tandem et floralia simplicia; foliolis omnibus petiolatis, ovato-acutis (terminali maximo) supra glabris, subtus albo-tomentosis, inaequaliter serratis, rigidiusculis. Petioli pubescentes, aculeati, aculeolis aduncis in costam dorsalem foliolorum usque continuantibus. Stipulae subulatae, laxae. Paniculae terminales, elongatae, contractae, basi uno alterove foliolo lanceolato, imo trilobo interruptae; bracteae stipulis conformes. Flores magnitudine mediocres, albi; calyx, petalis deciduis reflexus, albo-tomentosus; pedunculi aculeati, pariter albo-tomentosi. Fructus mediocres, atri.

Hab. in Europa boreali et media; rarior in australi. Variat α. panicula supra decomposita; β. foliis laciniatis; γ. floribus plenis; δ. foliis variegatis; ε. fructibus albis; ζ. caule inermi; et η. floribus majoribus rubicundis foliisque mollioribus, cano-velutinis. (Hayne Arzneypf. III. t. 12.)

Differt a R. affini, quocum permixtus habebatur: foliolis oblongis, subtus albo-tomentosis, aculeis rarioribus, panicula contracta, petalis minus rotundatis. T.

RUBUS *fruticosus dalmatinus.*

Distinguitur panicula maxima, supradecomposita, patente, floribus majoribus, saturate roseis, calycibus inermibus, pedunculis rarius aculeatis, foliisque subtus niveo-tomentosis. T.

Frutex speciosissimus, horticulturae maxime commendandus; tamen pro specie non sufficienter diversus a R. fructicoso germanico; lectus a cell. Dre Portenschlag in Dalmatia ad sepes.

RUBUS *pubèscens. Vest.*

R. ramis sulcatis, pubescentibus, aculeatis, foliis ternatis, quinatisve obovatis, acuminatis, argute inaequaliter serratis, subtus albo-tomentosis, racemo simplici, floribus infimis inter folia solitariis. T.

Rubus pubescens. Vest in lit.

Habitus R. corylifolii. Affinis R. fruticoso, sed foliola teneriora, posteriora in quinatis multoties minora, sessilia, panicula simplex et flores infimi distantes in axillis foliorum simplicium et ternatorum solitarii. Cetera ut in R. fruticoso.

Hab. in Stiriae monte Plabutsch supra Eggenberg in dumetis. Communicavit ill. Prof. de Vest.

RUBUS *collinus. De C.*

R. foliis quinatis, rarius ternatis, subtus tomento vix adpresso candicantibus, superne villosis, lateralibus subsessilibus; caule fruticoso, petiolisque aculeatis. De Cand.

Rubus collinus. De Cand. Catal. monsp. pag. 139. Poir. Enc. Suppl. IV. 695. Nocca et Balb. Fl. ticin. I. 238. t. 9.

Caulis fruticosus angulosus, aculeatus, aculeis copiosis, parvis, recurvis. Stipulae lineares, longae, subadnatae, hirtae; petioli hirti et aculeati; folia fere parva, quinata, summo uno alterove ternato; foliola ovata, acuminata, argute, inaequaliter serrata, supra viridi-hirto-pubescentia, subtus cano-hirto-tomentosa; lateralia sessilia, terminale maximum. Racemi terminales et axillares pauciflori. Flores parvi odorati, bracteae lineares; pedicelli et calycis laciniae reflexae hispido-glandulosi; petala alba, obovata, rotundata, calyce vix longiora. Fructus nondum observati.

Hab. in collibus sterilibus circa Monspessulanum, nec non in regno taurinensi. Affinis R. fruticoso.

RUBUS *fàstigiàtus. Weihe et Nees.*

R. caule decurvato, angulato, parce aculeato, glabro, foliis quinatis, ovato-cordatis, longe cuspidatis, planis, supra glabris, subtus pubescentibus, ramo florigero horizontali simpliciter paniculato, fastigiato, calycibus basi inermibus a fructu reflexis. W. et N.

Rubus fastigiatus. Weih. et N. Rubi germ. f. 1. no. 2.

Rubus fruticosus. Pollich Fl. Pal. II. 58. Dierb. Fl. heidelberg. II. 144.

Caulis fruticosus glaber, angulosus lateribus planis, aculeis sparsis subrecurvis, 5—15pedalis, ab initio erectus, tandem arcuatim recurvatus. Folia quinata, rarius septenata, utrinque pubescentibus membranaceisque foliolis. Petioli etiam laterales sat longi pubescentes, aculeati. Foliolum terminale cordato-ovatum, longe cuspidatum, omnia, inaequaliter, argute serrata, supra plana, subtus nervoso-rugosa. Stipulae glanduloso-ciliatae. In locis apricis folia magis dilatantur. Panicula simplex basi foliis loco bractearum stipata, divaricata. Calyces basi fere glabri, apicem versus tenuissime pubescentes, post anthesim reflexi. Petala ovalia, nivea, calyce majora. Fructus mediocres, uti in R. fruticoso.

In omni Germania. Hybridus quasi de R. fruticoso et plicato.

RUBUS *althèaefolius. Host.*

R. caule angulato, sparse aculeato, glabro, ramulis, pedunculis, petiolisque villoso-pubescentibus; foliis ternatis quinatisve; foliolis superioribus rhombeis, vel obovatis inferioribus ovato-deltoideis, supra sparse, subtus mollissime villoso pubescentibus, inciso-dentatis, ciliatis; racemis terminalibus paucifloris, calycibus utrinque tomentosis, mucronatis, petalis calyce majoribus obovatis. T.

Vidi specimina exsiccata in herbario cel. Dris. de Portenschlag, lecta prope Mauerbach in Austria nec non retro Bruck an der Leytha in Hungaria. In his praeterea sequentia observavi: Caulis purpurascens, glaberrimus raro aculeatus, aculeis parvis, rectis; ramuli plures, adscendentes acutanguli, pariter aculeati, aculeis minoribus, intermixtis setulis brevissimis, glanduliferis, sparsis. Folium inferius longe petiolatum, triphyllum, foliolis lateralibus sessilibus retrorsum lobatis, terminali petiolato, ovato-cordato, subtriangulari, omnibus circumferentia rotundató-lobatis, inaequaliter dentatis, acuminatis; superiora obovata et rhombea, vel subrotundo-rhombea, basi plerumque integerrima, antice inciso-dentata, et inaequaliter argute serrata, supra laete viridia, subtus pallidiora, petiolis et nervo principali aculeolata; stipulae liberae, lineari-lanceolatae, villosae. Racemi parvi, pauciflori; pedunculi frequentius aculeati, villoso-pubescentes, interjectis paucis glandulis pedicellatis, exiguis, erecti, uniflori. Flores sat magni, albi. Petala obovata, rarius emarginata, vel denticulata. Bracteae lineares, vel lineari-lanceolatae, inferiores trifidae, ceterum stipulis conformes. Maxime affinis est R. nemoroso. T.

Cl. Med. Doct. et Archiater Host primus hanc speciem detexit et nominavit. Amplior et accuratior itaque descriptio ab ipso olim exspectari debet.

RUBUS *nemoròsus. Willd.*

R. caule fereti, villoso et glanduloso-hispido, aculeato; aculeis fere rectis; foliis villosis, ramorum sterilium 5-natis, fertilium 3-natis; calyce glanduloso-tomentoso, petalis ovatis. T.

Rubus nemorosus. Willd. Berlin. Baumz. 412. Hayne Arzneygew. III. no. 10. t. 10. Guimp. Holzart. I. p. 133. t. 101. Flora seu Diar. bot. II. 2. p. 565.

Caulis fruticosus. Rami fructiferi 1—2pedales, plus minus erecti, steriles prostrati ad 6 pedes et ultra repentes, omnes villoso-hirsuti, intermixtis glandulis copiosissimis pedicellatis, demum in aculeos abeuntibus. Aculei sparsi, fere recti, parvi. Foliola inciso-dentata, lobis rotundatis, supra pubescentia, subtus villosa, fere concoloria, ad nervos principales subtus sparse aculeolata. Flores in racemis terminalibus paucifloris, uno alterove solitario in bifurcatione ramulorum. Calyces caesio-tomentosi intermixtis glandulis pedicellatis et sessilibus. Petala brevissime unguiculata, ovata, apice rarius emarginata, pallidissime rosea, vel alba. Baccae nigrae, globosae majores illis R. corylifolii.

Hab. in Germania, Austria, Styria etc. In herbario ill. D. Portenschlag vidi specimen pygmaeum, radicifloram, pedunculis solitariis, unifloris. Variat etiam caule vix glanduloso, et vix pubescente, calycibusque vix glandulosis.

R. jamaicensis quorumdam, in Europa et praesertim Stiria lectus, nil aliud est quam R. nemorosus. A Sprengelio conjungitur haec species cum R. corylifolio; ast differt ab illo caule tereti villoso, aculeis parvis, basi vix dilatatis, fere rectis, foliis ramorum fertilium omnibus ternatis, sterilium tantum quinatis, racemis simplicibus paucifloris, petalisque ovatis. In herbario Dris. de Portenschlag vidi specimen procumbens caule inermi glabro, ramulis florentibus ceterum orthodoxis, adscendentibus, frequentibus. T.

RUBUS *Sprengèlii.* *Weihe.*

R. caule (sterili) aculeato, tereti, piloso, humifuso; foliis ternatis, ovatis, acuminatis, subtus pubescentibus; panicula laxa, decomposita, fructifera nutante; calycibus patentissimis acuminatis. Weihe.

Rubus Sprengelii. Weih. in Diar. botan. Flora dicto, Ann. 2. T. II. p. 18. Link Enum. h. ber. II. 62.

Caulis fruticosus: flagella sterilia repentia 10-pedalia et ultra; folia eorum ternata, raro quinata; foliola basi ovata, longe acuminata, inaequaliter argute serrata; lateralia plerumque biloba; supra tenue, subtus dense pubescentia; petioli, et nervi primarii pilis et aculeis muniti veluti caulis. Caulis fructificantis folia aequalia, sed acumina foliolorum abbreviata, et foliola lateralia vix biloba. Panicula composita et decomposita. Pedicelli longi, laxi, divergentes, villoso-aculeati, aculeolis brevibus, rectis. Calyces rarius aculeolati. Petala parva, undulata, rosea. Fructus globosi, mediocres, e multis drupis, nitenti-atris compositi, calyci ultra maturitatem arcte adhaerentes.

Hab. in Germania occidentali. Affinis R. nemoroso. Rubum, qui in Fl. dan. X. no. 1697. delineatus fuit, cel. C. Sprengelius ipse (in ej. Neu. Entd. III. 215.) pro varietate R. caesii declarat. Link l. c. dicit: „Differt R. corylifolio ramis superioribus et pedunculis mollissime hirtis. Cor. rubens." A R. nemoroso defectu glandularum, inflorescentia et fructibus differt. T.

RUBUS *ferox. Vest.*

R. flagellis glabris, ramisque floriferis villosis teretibus aculeatissimis, aculeis gracilibus retrorsum falcatis; foliis omnibus ternatis, foliolis flagellorum subcoriaceis, ovatis, longe acuminatis supra glabris, ramulorum cordatis, orbiculatis, et obovatis; paniculis compositis et decompositis, pedunculis sepalisque cano-tomentosis centematosis. T.

Rubus ferox. Vest in lit.

Frutex validus Rubo Sprengelii admodum affinis: sed aculei copiosissimi graciles, falcati; caulis sterilis glaber, ejusque folia fere coriacea supra glabra, subtus nervosa, albo-tomentosa. Caulis et rami floriferi villoso-pubescentes. Folia horum longe petiolata (summa simplicia brevi-petiolata); stipulae petiolares hirsutae, lineari-subulatae; foliola basi cordata, subaequalia, in aliis ramulis obovata biuncialia, in aliis suborbiculata, 3 — 4-uncialia, supra tenue, subtus dense pubescentia pallidiora, costa principali aculeatissima, margine tenue et maxime inaequaliter, argute serrato-dentata. Panicula semi-usque pedalis, composita et decomposita, ramulis inferioribus axillaribus inter folia. Pedunculi et pedicelli tomentosi, sparse glandulosi, aculeatissimi. Bracteae variae, pleraeque trifidae, lineares, subulatae, aliae foliolo lanceolato terminatae, villoso-tomentosae; sepala reflexa extus centematosa, utrinque cano-tomentosa, margine nivea. Petala alba, calycem parum excedentia, obovata, integerrima, brevi-unguiculata. Stamina et pistilla numerosissima.

Hab. in Stiriae montosis, sylvaticis. Legit et communicavit Prof. de Vest. Ad literas posteriores cel. auct. fortior R. sulcato, sed magis decumbens, flagellis plurimis, imo saepius totum fruticem constituentibus. Fructus etiam hoc majores, uberiores, et profundius nigricantes.

RUBUS *paniculàtus. Schlechtend.*

R. caule aculeato, foliis ternatis et quinatis, foliolis inaequali ovatis, acuminatis, serratis, subtus tenui-tomentosis, canis, floribus paniculatis. Link.

Rubus paniculatus. Link Enumer. hort. berol. ed. alt. II. 61.

Patria ignota. Colitur in horto botanico Regio berolinensi, et floribus plenis habetur. Affinis R. fruticoso.

Rami floriferi tenuissime pubescentes, sparse aculeati; petioli pedunculique copiosius aculeati; foliola saepe basi cordata, lateralia petiolata, saepius pedata, sive petiolo retro ramoso. Folia supra tenue pubescentia, saturate viridia, subtus tenuissime cano-tomentosa. Flores magni. Calyx inermis utrinque cano-tomentosus, sepalis ovatis, cuspidatis. Forte proles R. rhamnifolii? T.

RUBUS *sulcàtus. Vest.*

R. flagellis et caule annoso cóstato-sulcato, acutangulo, glabro, ramulorum pubescentium lateribus planiusculis; foliolis supra glabris subtus pubescentibus, inferioribus et maximis cordato-ovatis, et flagellorum quinatis ovatis acuminatis, ramulorum floriferorum obovatis; aculeis sparsis recurvis; floribus racemosis; sepalis utrinque cano-tomentosis, pedunculisque eglandulosis. T.

Rubus sulcatus. Vest in lit.

Frutex validus 3—7pedalis, apice nutans, flagella humiliora. Caulis profunde sulcatus, acute pentagonus, rubescens, glaber; aculei validi recurvi. Folia longe petiolata, quinata; stipulae petiolares subulatae, pubescentes; petiolus communis validus, copiose aculeatus, glaber; foliola omnia petiolata, posteriora brevissime, terminale longe, petiolis partialibus et costis principalibus aculeatis, 3 anteriora cordato-subrotunda, posteriora cordato-ovata, subtus non nisi ad nervos pubescentia, parum pallidiora, omnia cuspidata, argute et inaequaliter serrato-dentata. Folia flagellorum quinata, petiolata, quintuplo minora, sesquipollicaria, ovato-lanceolata, argute inaequaliter serrata, acuminata, supra glabra, viridi-rubicantia, subtus alba, nervosa, ad nervos pubescentia, nec tomentosa; stipulae petiolares subulatae. Foliola ramulorum ternata, multo teneriora, membranacea, ovata et obovata, acuminata, inaequaliter inciso-et serrato-dentata, supra glabra, cum diluto rubore virentia, subtus pallidiora, mollissime tomentosa; stipulae axillares, lineares. Bracteae 1—3 ad quemvis pedicellum aculeato-tomentosum, cano-tomentosae, lineares. Flores sat magni nivei; sepalae ovatae, cuspidatae extus cano-tomentosae, intus et margine niveo-tomentosae, nudae; petala spatulata, apice emarginata, sepalis duplo majora, semipollicem longa. Fructus nigri, nitidi, multis drupeolis compositi, calyce reflexo.

Hab. in Stiria; detexit et communicavit Prof. L. de Vest. Affinis R. paniculato.

RUBUS *caesius. L.*

R. caule repente, tereti, caesio-pruinoso, aculeis subrecurvis, foliis ternatis subpubescentibus, calyce erecto, glanduloso, pubescente, petalis obovatis, emarginatis. Spreng.

Rubus caesius. Willd. Sp. pl. II. 1084. Pers. Syn. pl. I. 51. Ait. h. k. ed. 2. III. 268. Engl. bot. 826. Schult. Oesterr. Fl. ed. 2. II. 77. Guimp. deutsch. Holzart. I. p. 131. t. 100. Bechstein Forstbot. ed. 2. p. 245. et 1178.

Caulis fruticosus, repens vel scandens; rami teretes, caesii, muniti aculeis compressis, brevibus, laedentibus. Folia ternata, petiolis canaliculatis costisque foliolorum intermediis dorso aculeolatis; stipulae lanceolatae, concaviusculae pubescentes; foliola 2—3 pollices longa lataque, acuminata, inciso-serrata, vel et duplicato-serrata, superne saturate viridia, fere glabra, subtus plus minus mollia; lateralia inaequilatera. Flores terminales corymboso-paniculati. Calycis laciniae ovatae, attenuatae, rubicundae, extus hirtae, intus tomentosae. Petala sat magna, obovata, emarginata, subrugosa, alba, rarius rosea. Fructus magni, nigro-caerulescentes, pruinosi, edules, parenchymate violaceo.

Hab. ad margines agrorum, nec non in dumetis ab Upsalia per totam Europam ad Thessaliam usque, denique in ipsa Japonia. Floret Junio et Julio, fructus maturant Augusto et Septembri. Folia Octobri colore sanguineo nitent.

Datur varietas minor, simillima R. hispido; sed pedunculi et pedicelli multo breviores, et calyces tomentosi, extus saepe glanduloso-hispidi. T.

SERIES III.

POIRETIANA.

Frutices mediae magnitudinis. Caules copiose aculeati. Folia ternata et quinata; foliola ovata et obovata, rarius subrotunda, cano-tomentosa. Flores paniculati. Fructus parvi, nigri, drupeolis numerosis compositi.

Species: R. tomentosus. Borkh. R. obtusifolius. Willd. R. velutinus. Vest. R. holosericeus. Vest. R. cuneifolius. Pursh. R. canescens. De Cand. R. jamaicensis. L. R. sanctus. Schreb. R. agrestis. W. K. R. borbonicus. Pers. R. urticaefolius. Poir.

RUBUS *tomentòsus. Borkh.*

R. caule erecto anguloso sulcato aculeato glabro, foliis quinatis obovato-cuneatis, acutis, supra cano-pubescentibus, subtus albo-tomentosis, panicula decomposita angusta patente, calycibus subinermibus reflexis. Nees et W.

Rubus tomentosus. Nees et Weihe Rubi germ. no. 8. Poir. Enc. VI. 245. Borkh. in Röm. n. bot. Mag. I St. Nocca et Balb. Fl. ticin. I. 235. t. 8.

Rubus argenteus. Gmel. Fl. bad. II. 434.

Frutex 10—12pedalis, arcu tandem ad terram reflexus, caule pentangulo, sparsim setulis glanduliferis solitariis obsito virescente, aculeolis sparsis recurvis compressis munito. Folia approximata, alterna, infima quinata, reliqua ternata; foliola lateralia extus plerumque lobata; terminale obovatum, omnia acuminata, basi angustata, integerrima, antice simpliciter, inaequaliter et duplicato-serrata, serraturis mucronatis, superne cano-tomentosa, inferne densc albo-tomentosa, crassiuscula, rugosa. Ad viciniam paniculae foliola minora, lateralia integra et terminale sessile. Panicula angustata, ramis erectis, omnibus pubescentibus, cinerascentibus, angulosis, copiose aculeatis. Bracteae ovato-lanceolatae, tenuissime lanatae. Flores albi, parvi, calycibus tomentosis inermibus, post anthesim reflexis, petalis obovatis, cal. longioribus. Fructus parvi e numerosis drupeolis atris nitidisque.

Hab. in Germania, Austria, Hungaria; discernendus a R. Thuillieri Poir. s. R. rhamnifolio, sancto, et quoad iconem etiam a R. tomentoso Willdenowii et Haynei, qui in Guimpelii deutsch. Holzart. I. t. 98. depictus habetur. R. prostratus Bast. caule prostrato, foliis supra glabris: est mera R. tomentosi varietas: v. De Cand. Suppl. ad Fl. Gall. p. 545.

RUBUS *obtusifòlius. Willd.*

R. caule angulato, aculeis parvis subrecurvis; foliis quinatis, ternatis et simplicibus, foliolis basi, saepius et apice rotundatis, inaequaliter inciso-dentatis, supra laete viridibus obiter pubescentibus, subtus cano-tomentosis, racemis terminalibus compositis. T.

Rubus obtusifolius. Willd. berl. Bmz. ed. 2. pag. 409. Hayne Dendr. Flora v. Berl. p. 106.

Rubus tomentosus. Guimpel deutsch. Holzart. I. t. 98. quoad iconem, non quoad descriptionem.

Differt a R. tomentoso, cui ceterum simillimus, a.) foliolis latioribus, apice obtusis, dentibus multo minus argutis, basi plerumque rotundatis, vel saltem non adeo angustatis, supra fere glabris et leviter tantum pubescentibus; b.) racemis vel paniculis minoribus; c.) petalis subrotundis, leviter emarginatis.

Hab. in Germania, Bohemia, nec in Tauria. Fructus ut in R. tomentoso. In herbario cel. Dris. de Portenschlag vidi insignem varietatem amplificatam, foliolis lateralibus pedati-lobis, cymis (praeter paniculam terminalem) plurimis axillaribus, erectis, bracteis trifidis, aliisque subpinnatifidis. T.

In speciminibus a cel. Prof. L. de Vest sub nomine R. hypoleuci missis vidi foliola flagellorum etiam supra tenue tomentosa, omnia ternata, in uno specimine foliola argute serrato-dentata, in alio paniculam fere pedalem supra decompositam, et fructus ex akeniis siccis plurimis compositos. Foliola ramorum sterilium prostratorum admodum diversa cuneiformia, grosse dentata, supra fere velutina, in alio ramulo florifero obovata, apice attenuata vel acuminatissima. Tamen videtur eadem species. T.

RUBUS *velùtinus. Vest.*

R. caule angulato, sulcato, aculeis majusculis, compressis, subrecurvis; foliis ternatis, foliolis lateralibus ovatis, terminalibus obovatis, acuminatis, argute inciso- et duplicato-serratis, floralibus supra glabris, subtus cano-tomentosis, racemis compressis; petalis orbiculatis longe unguiculatis. T.

Rubus velutinus. Vest in literis.

Habitus Ruborum vulgarium fortiorum. In specimine sicco minus perfecto vidi sequentia: Caulis ruber, glaber, sparse aculeatus, aculeis magnis compressis, rectis, basi latissimis. Ramulus florifer subangulatus, pubescens. Folia ad ortum ramuli aggregata, parva, utrinque tomentosa, subtus canescentia; in ramulo alterna sursum increscentia; stipulae axillares, lineari-lanceolatae, pubescentes; petioli et costa dorsalis folioli terminalis aculeati, aculeis recurvis; foliola lateralia sublobata, trapezoidea, superiora tandem ovata, supra viridia, sparse pubescentia, subtus cano-tomentosa. Racemus terminalis simplicissimus, floribus parvis, brevi pedicellatis, infimis inter folia axillaribus. Pedunculus principalis sparse aculeatus, et pedicelli griseo-tomentosi eglandulosi, ecentematosi. Folia floralia ternata et simplicia in bracteas demum abeunt pinnatifidas, serratas, et tandem integras lineari-lanceolatas, pubescentes; calyx reflexus, sepalae ovatae, cuspidatae, utrinque, margine tamen apertius, cano-tomentosae; petala orbiculata alba bilinearia, unguiculo lineari suffulta. Stamina et pistilla plurima. T.

Hab. in Stiria. Communicavit cel. Prof. Vest. Affinis R. obtusifolio.

RUBUS *holosericeus. Vest.*

R. caule ramisque rotundis, aculeis sparsis parvis, rectis; foliis ternatis, et simplicibus, foliolis plerisque obovatis, argute inaequaliter dentatis, subtus cano-tomentosis; pedunculis subcentematosis, aculeatissimis, calycibus subaculeatis, petalis subrotundis brevissime unguiculatis. T.

Rubus holosericeus. Vest in lit.

Habitus fere R. obtusifolii. Flagella glabra centematosa et aculeata; caulis fructificans glaberrimus, aculeis sparsis parvis rectiusculis; ramuli floriferi pubescentes. Foliola flagellorum utrinque velutina, lateralia pedato-biloba uncialia et biuncialia; illa ramulorum floriferorum lateralium seu secundariorum saepe simplicia uncialia, cordato-ovata, tri-et quinqueloba, alia ternata minora, ovata et obovata, lateralibus trapezoideis subbilobis, supra dense pubescentia, subtus caesio-tomentosa; petioli aculeati et stipulae axillares lineari-lanceolatae villosae: foliola tandem ramuli floriferi terminalis 2—3-pollicaria obovata, lateralibus inaequalibus, basi integerrima, antice duplicato-vel inaequaliter dentata, vel serrata, supra glabra, subtus albo-tomentosa, costis principalibus plerumque bisulcatis. Panicula, ramulis inferioribus distantibus axillaribus semipedalis, composita. Bracteae etiam summae trifidae tomentosae. Pedunculi et pedicelli tomentosi, subcentematosi, copioseque aculeati. Flores magnitudine mediocres; sepalae lato-ovatae, acuminatae, cano-tomentosae, nonnunquam basi uno alterove aculeolo munitae; petala alba subrotunda, vix unguiculata. T.

Hab. in Stiria non procul a Graecio, observata et communicata a cel. Prof. L. de Vest. Affinis R. obtusifolio.

RUBUS *cuneifolius. Pursh.*

R. ramis petiolis pedunculisque tomentosis, aculeis sparsis recurvis, foliis digitatis obovatis, apice inaequaliter dentatis, plicatis, basi revolutis, subtus tomentosis, pedicellis paniculae divaricatis nudiusculis. Spreng.

Rubus cuneifolius. Pursh. Fl. Am. sept. ed. 2. I. 347. C. Spreng. wiss. Pflzenk. p. 508. Poiret Encycl. Suppl. IV. 696.

Rubus parvifolius. Walt. Carol. 149.

Caulis fruticosus, diffusus, serpens, (videtur sat magnus) cinereus; rami 5-goni cinereo-tomentosi; aculei sparsi, sat copiosi, ferruginei, recurvi, basi tomentosi, nonnunquam et gemini. Folia (in specimine sicco absque floribus) alterna, crasse petiolata, stipulae solutae, lanceolatae, convolutae, tomentosae; petiolus pollicem et ultra longus, lignosus, aculeis recurvis ferox; folia in specimine Musaei Caes. Reg. omnia ternata, ceterum etiam quinato-digitata subaequalia, pollicem et sesquipollicem longa; cuneata, apice truncata, semipollicem lata, antice inaequaliter et argute serrata, a basi ad medium usque integerrima et margine revoluta, supra rugosa pubescentia, e viridi purpurascentia, subtus venosa cano-tomentosa; ad venas aculeata; lateralia sessilia, terminale brevi-petiolatum. Flores racemoso-paniculati, terminales (albi?) pedicelli diffusi subglabri. Fructus dicuntur a Purshio baccae durae et siccae, (berries hard and dry); character non Dalibardae exclusive proprius. Valde doleo, quod nil nisi specimen sterile videre contigerit. Flor. Junio, Julio. Enslen suum specimen legit Septembri 1808. T.

Hab. in Nova Caesarea (New Jersey) et Carolina.

RUBUS *canèscens. De Cand.*

R. foliis quinatis, rarius ternatis, grosse dentatis, utrinque tomento brevissimo, adpresso velutinis, subtus albidioribus, lateralibus petiolatis; caule fruticoso, petiolisque aculeatis. De C.

Rubus canescens. De Cand. Catal. hort. Monsp. p. 139. et Fl. fr. Suppl. p. 545. Poiret Encycl. Suppl. IV. 694.

Frutex sat altus; rami canaliculati, pubescentes, armati aculeis paucis, rectis retrorsis. Folia quinata, exceptis ultimis; foliola oblonga, argute, grosse et irregulariter dentata, paginis utrisque velutino-tomentosis, cano-griseis. Racemi thyrsoidei, ovati. Flores albi, minores quam in plurimis aliis hujus generis speciebus; pedicelli villosi, albidi, hispido-aculeolati; petala ovata.

Hab. in alpinis et subalpinis pedemontanis; differt a R. tomentoso, cujus proles, magnitudine, foliis saepius quinatis, grosse dentatis, foliolis petiolatis, floribus minoribus (quod mirum in planta alpina!) racemis thyrsoideis, aculeis rectis.

RUBUS *jamaicènsis. L.*

R. ramis pentagonis cano-tomentosis, aculeis copiosis validis recurvatis, foliis ternatis, foliolis supra glabriusculis, subtus cano-tomentosis inaequaliter inciso-dentatis; panicula patenti, pedunculis aculeatis, calycibus cano-tomentosis, eglandulosis, laciniis ovatis, apice mucronatis. T.

Rubus jamaicensis. Linn. Mant. 75. Swartz Obs. bot. 205. Willd. Spec. pl. II. 1084. Ej. Enumer. I. 549. C. Spreng. Wiss. Pflzk. p. 509. Poiret Encycl. VI. 244.

In speciminibus exsiccatis, quae vidi, plura sunt, quae cum definitionibus usquedum collatis minus conveniunt; tamen prout fuerunt originalia ex Antillis, et in notis maxime essentialibus optime conveniunt, de identitate specifica dubitare nequeo, et potius errorem terminologicum suppono. Caules minime pubescunt, folia supra glabra dicenda sunt, nam non nisi ope microscopii pubescentiae tenuissima rudimenta difficile cognoscuntur. Non nisi foliola suprèma ovato-lanceolata et oblonga sunt, inferiora vero lato-ovata, vel quadrangula, lateralia inaequilatera; panicula non diffusa, sed potius patens vel distans. Tamen non potest esse R. parvifolius: hujus enim caulis hirtus, aculei rari, folia omnia ternata, vel pinnata, foliola omnia ovata, aequaliter serrata et panicula dichotoma. Quem in Styria aliisque Europae regionibus sub nomine R. jamaicensis venditant, nil nisi R. nemorosus est. T.

RUBUS *sànctus. Schreb.*

R. ramis tetragonis, cano-tomentosis, petiolis pedunculisque aculeatis, foliis ternatis, foliolis obovato-rotundatis, inaequaliter, argute inciso-dentatis, breviter acuminatis, rugosis, supra pubescentibus, subtus cano-tomentosis; panicula contracta, calycibus cano-tomentosis, reflexis. T.

Rubus sanctus. Schreb. Dec. p. 15. t. 8. Willd. Sp. pl. II. 1083. Pall. Ind. taur. De Cand. in Ann. du Mus. XII. p. 55. t. 6.

Rubus fruticosus γ. Marsch. Bieb. Fl. taur. cauc. I. 401.

Rubus tomentosus. C. Spreng. Wiss. Pflzk. p. 505.

Caulis fruticosus, aculeis validis, compressis, basi dilatatis, recurvis, flavicantibus. Foliola quodammodo forma Alni incanae, sed minora; stipulae subulatae, tomentosae. Folia omnia ternata, extremis simplicibus; bracteae cano-tomentosae, lineares; flores parvi; petala unguiculata, obovata, apice rotundata, alba vel rosea. T.

Vidi lectam a cel. Dno. Sieber in insula Creta prope Caneam. Distinctissimus foliolis subrotundis, aculeis majoribus et paniculis compositis, contractis. Si tamen ut varietas consideranda esset, sane non ad R. fruticosum, sed ad R. tomentosum reducendus foret, praesertim ad illum, quem cel. Nocca in Fl. ticinensi t. 8. delineavit, a quo tamen foliolorum forma toto caelo aberrat. Specimina a cel. D. Sieber lecta vidi in pluribus herbariis, sed omnia aequalia. T.

RUBUS *agrèstis. W. K.*

R. caulibus suffruticosis, procumbentibus subangulatis, aculeis rectis, setaceis, foliis ternatis quinatisque, foliolis subrotundis lobato-dentatis, inaequaliter serratis, supra pilosis subtus tomentosis, pedunculis, calycibusque cano-tomentosis et glanduloso-hispidis. T.

Rubus agrestis. Waldst. Kit. Rar. Hung. III. p. 297. t. 268. Baumgart. Enum. Transsylv. II. p. 56. Schult. Oest. Fl. ed. 2. II. p. 79.

Caules alii herbacei, alii suffruticosi, centrales erectiusculi pedales, laterales flagellares, repentes et radicantes tripedales et ultra, juniores pubescentes: purpurascentes, adultiores glabri, pube in aculeolos permutata, subangulati. Folia alterna, ternata, rarius quinata; foliola bipollicaria, subrotunda, nonnulla obovata, basi saepius cordata, margine inciso-lobata, et inaequaliter serrata, rugosa, utrinque canescentia, supra pilosa, subtus tomentosa, nervo medio aculeata; petioli carinati, pubescentes et aculeati; stipulae lanceolatae subserratae. Flores paniculati vel et umbellati, terminales, vel etiam axillares. Calyx utrinque tomentoso-canus, sub florescentia deflexus, post hanc incurvus fructum basi involvens. Petala candida, patentia apice leviter emarginata. Fructus niger. In solo sterili germina saepe usque ad unicum abortiunt.

Hab. in arvis diutius neglectis in Hungaria et Transsylvania. Cel. Waldstein et Kitaibel putant maxime affinem esse R. corylifolio, nec non R. caesio atque hirto. Sed ill. C. Sprengel (v. Ej. Grundz. d. wissensch. Pflanzenkunde p. 505.) rectius ad R. tomentosum refert, a quo interim specie sufficienter differe videtur. T.

RUBUS *borbònicus. Pers.*

R. foliis septenis; foliolis ovato-oblongis, acute serratis, subtus albido-tomentosis. Persoon.

Rubus borbonicus. Pers. Synops. pl. II. 51. Poiret Enc. Suppl. IV. 696.

Rubus tomentosus. Bory de St. Vincent. Voyage II. 378.

Hab. in insula Bourbon. Rami sarmentosi, albidi. Petioli tomentosi et aculeati. Sine dubio affinis R. tomentoso; sed plurima desiderantur.

RUBUS *urticaefòlius. Poir.*

R. foliis simplicibus ternatisque; foliolis ovatis, subtus sericeis, dentatis; floribus paniculatis, ramis hirsutissimis. Poiret.

Rubus urticaefolius. Poir. Enc. VI. 246. C. Spreng. Wiss. Pflzk. p. 509.

Caulis fruticosus, ramis erectis, subangulosis, subcompressis hispidissimis setis horizontalibus rubris, aculeis sparsis, raris. Folia petiolata, superiora simplicia, inferiora ternata, foliolis ovatis, subcordatis, petiolatis, 4—5 pollices longis, ultra 3 latis, supra leviter pubescentibus, subtus albis, sericeo-tomentosis, petiolis villosis, sparse aculeolatis. Stipulae lineari-lanceolatae, saepius apice bifidae. Panicula terminalis, stricta, ampla, composita e paniculis partialibus, alternis, pedunculis pedicellisque rubro-villosis; pedicelli breves, bracteae villosae, concavae, ovatae, acuminatae. Calyces parvi, laciniis ovatis extus niveo-tomentosis. Petala vix calycem excedentia. Fructus parvi, globosi, compositi.

Pulchra haec species habitat in Peruvia, unde adlata fuerat a Dombeyo. Affinis videtur R. tomentoso.

SERIES IV.

PERSOONIANA.

Frutices subherbacei parvi, sarmentosi, hispido-aculeati; folia ternato-quinata; foliola tenue serrata. Flores racemoso-paniculati et subsolitarii. Fructus magni e drupeolis paucis compositi.

Species: R. saxatilis. L. R. canadensis. L. R. villosus. Ait. R. hispidus. L. R. argutus. Link. R. trivialis. Michaux. R. Enslenii. T. R. radicans. Cavan.

RUBUS *saxàtilis. L.*

R. flagellis reptantibus, caule obtusangulo, foliis ternatis, rhombeis, acutis, inciso-dentatis, nudis, pedunculis subternis, elongatis, petalis linearibus. Spreng.

Rubus saxatilis. Willd. Sp. pl. II. 1088. Ait. h. k. ed. 2. III. 270. C. Spreng. Wiss. Pflzk. p. 513. Poir. Enc. VI. 237. Hayne dendr. Fl. v. Berl. p. 109. Oeder Fl. Dan. I. 134. Guimpel deutsch. Holz. I. 138. t. 104. Pers. Syn. II. 52. Mich. Fl. bor. am. I. 298. Pursh Fl. Amer. sept. ed. 2. I. 349. M. B. Fl. taur. cauc. I. 402.

Caulis subherbaceus, 1—4pedalis, repens, ramulis florentibus erectis, hirto-pubescens, nudus, vel raris tantum aculeolis munitus. Ramuli graciles; folia longe petiolata, omnia ternata; foliola sat magna, ovato-rhombea, supra glabra, subtus ad nervos pubescentia, inaequaliter, inciso-serrata, dentata et crenata, nonnunquam ad petiolos et costas subtus aculeolata. Flores parvi, axillares, solitarii vel a 2 ad 12 aggregati, corymbosi, pedicellis subhirtis, basi bracteatis. Calyx reflexus, pubescens, glaucus, laciniis lanceolatis; petala linearia, oblonga, calyce longiora, obtusa, et stamina alba. Fructus rubri, compositi ex 3—8 drupis magnis, liberis, glabris.

Hab. in subalpinis, petrosis Europae et Asiae septentrionalis. An planta americana sit mera varietas, ulterius indagandum est. Differt scilicet fructibus parvis, nigris. V. Pursh. et Michaux l. c. Interea de identitate speciei vix dubito. An non novo generi Raffinesquei (Cylactis) amandandus? v. R. canadensis. T.



RUBUS *canadènsis. L.*

R. caule purpureo, glabriusculo, foliis digitatis, denis quinis ternatisque, foliolis lanceolatis, argute serratis, utrinque nudis, stipulis linearibus, subaculeatis. Spreng.

Rubus canadensis. Linn. Sp. pl. 707. Willd. Sp. pl. II. 1085. Pers. Syn. II. 51. Spreng. wissensch. Pflanzenk. p. 512. Mill. ic. t. 223. Poiret Encycl. VI. 243. Pursh Fl. Amer. sept. I. 347.

Caulis et rami adultiores purpurei, inermes. Folia alterna, petiolata, pinnato-digitata, numero foliolorum admodum variabili: foliorum inferiorum a 7 ad 10; superiorum a 3 ad 5; foliola tenuissima, lanceolata, utrinque glabra et nuda, tenue et argute serrata; stipulae lineares, subspinosae; pedunculi muniti bracteis lanceolatis.

Hab. in rupestribus sylvaticis a Canada ad Virginiam. ♉. An huc Synonimon Cylactidis montanae Raff. spectet, interrogat cel. C. Sprengel in Ej. Neue Entdeck. II. 207. Ad idem genus etiam R. saxatilis americanus pertinere videtur. R. canadensis itaque affinis R. saxatili. T.

RUBUS *villòsus. Ait.*

R. caule hispido, aculeis reflexis, foliis digitatis, ovato-oblongis, acuminatis, serratis, utrinque villosis, petiolis aculeatis, pedunculis racemosis laxis. Spreng.

Rubus villosus. Ait. h. k. ed. 1. II. 210. Ej. ed. 2. III. 269. Willd. Sp. pl. II. 1085. Michaux. Fl. bor. amer. I. 297. Pursh Fl. Am. sept. ed. 2. I. 346. Poir. Enc. VI. 243. C. Spreng. Wiss. Pflzk. p. 507.

Frutex, ramis pubescentibus, subvillosis, aculeatis. Folia petiolata, digitata, foliolis quinis, ternatisque ovatis, et ellipticis, acuminatis, pubescentibus utrinque viridibus, margine tenue serratis; petiolis aculeatis, stipulisque setaceis. Flores plerique terminales, rarius axillares, in racemum laxum collecti, pedicellis elongatis, solitariis. Calycis laciniae ovatae, modice acuminatae.

Hab. in arvis a Nova Anglia ad Carolinam usque, nota sub nomine Black-berries (Acini nigri). Affinis R. hispido, et planta, quam Walther sub hoc nomine consignavit, sine dubio nil aliud est quam R. villosus. Cave ne confundas cum R. villoso Thunb. qui est R. corchorifolius L. f. neque c. R. villoso Torreyi in Catal. Noveboraq. p. 47. qui R. heterophyllus Willd. est.

RUBUS *hispidus. L.*

R. caule sarmentoso procumbente, tereti, aculeis recurvis setisque sparsis, foliis ternatis, inciso-inaequaliter dentatis, basi subcuneatis, glabriusculis, racemi pedicellis elongatis setosis, petalis obovatis. Spreng. wissensch. Pflanzenk. p. 507.

Rubus hispidus: foliis ternatis nudis, caulibus petiolisque hispidissimis, strigis rigidulis. Linn. Syst. veg. 395. Willd. Sp. pl. II. 1083.

Rubus flagellaris. Willd. Enum. I. 549. Pursh Fl. Am. sept. I. 347.

Rubus procumbens. Mühlenb. Catal. p. 50.

Caules viticulis longis, procumbentibus lignosis, una cum petiolis adspersi setis rigidis. Folia ternata, nuda, inciso-serrata; intermedio pedicellato. Pedunculi etiam hispidi. Willdenow.

In specimine culto observavi sequentia: Caulis prostratus, gracilis, dilute fuscescens subangulatus, copiose armatus aculeolis parvis setaceis, recurvatis; folia distantia mediocriter petiolata, petiolis nervisque principalibus copiose aculeolatis, ternata; extima simplicia, triloba vel ovata: foliola glaberrima, inciso-inaequaliter, argute dentata, acuta; fere 2 pollices longa, terminale petiolatum rhomboidale, lateralia sessilia, inaequilatera; stipulae lineari-lanceolatae, cuspidatae, setulis glanduliferis sparse ciliatae. Pedunculi axillares elongati, cauli conformes, irregulariter divisi et subdivisi, pedicellis flexuosis apice subtomentosis, calycisque laciniis ovatis, longe cuspidatis extus aculeolatis, intus et margine cano-tomentosis; petala 5, alba, obovata, vix calycem excedentia. Fructum non vidi; sed pistillorum structura R. saxatili aequalem persuadet. T.

Hab. in Canada; et Pensylvania. Affinis R. triviali, a quo differt foliolis inaequaliter dentatis, floribus racemosis etc. Fructus dicuntur nigri. T.

60. S. III. 8.

RUBUS *argùtus. Link.*

R. caule aculeato, aculeis rectiusculis, foliis ternatis et quinatis, foliolis oblongis, acuminatis, duplicato-argute serratis, basi subattenuatis, subtus pubescentibus, floribus paniculatis. Link.

Rubus argutus. Link. Enum. hort. berol. ed. alt. II. 60.

Caulis aculeis sparsis, parvis, hirtus. Folia subtus nervis pubescentibus. Calyces hirti. Corolla alba, petalis basi attenuatis. Link. l. c.

Hab. in America septentrionali. ♉. affinis R. villoso.

RUBUS *triviàlis. Michaux.*

R. sarmentoso-procumbens: stipulis subulàtis: foliis 3—5 digitatis; foliolis oblongo-ovalibus, (ovatis) non acuminatis, subaequaliter serratis, glabriusculis: pedicellis subsolitariis, elongatis. Mich.

Rubus trivialis. Mich. Fl. bor. amer. I. 296. Pursh. Fl. Am. sept. ed. 2. I. 347. Ait. h. K. ed. 2. III. 269.

Frutex serpens in Carolina et Pensylvània ubique frequens; floret in loco natali Majo et Junio, in hortis anglicanis Junio et Julio. Sarmenta diffuse procumbentia: petioli et pedunculi hispidi aculeatique: folia supra lucida, subtus glabra. Petala majuscula, suborbiculata. Fructus niger, magnus, deliciosus, in dictis provinciis notus sub nomine Dewberries, i. e. baccae roriformes, quia veluti guttulae roris nidulantur. Clar. Poiret (v. Enc. Suppl. IV. 693.) putat, hunc cum R. pensylvanico esse synonima R. strigosi.

RUBUS *Enslènii. T.*

R. caule gracili, sarmentoso, procumbente, tereti, subaculeato, glabro; foliis ternatis, foliolis inciso-inaequaliter dentatis, serratisve, acutis, basi angustatis, glabriusculis, ciliatis, floribus longe pedunculatis, solitariis, petalis angustis, ellipticis, unguiculatis. T.

Stipulae subulatae, pubescentes, carinatae, margine glanduloso-denticulatae. Petioli et pedunculi pubescentes et sparse aculeati, aculeis gracillimis recurvis. Nervi dorsales saepius basi aculeati, et costae passim subtus villosae. Foliola quaedam simplicia, triloba. Corolla calyce duplo major, alba. Calycis laciniae ellipticae extus pubescentes, intus tomentosae, apice jam ante expansionem sphacelatae.

Hab. in America septentrionali. ♉. Vidi in Musaeo Caes. Reg. in herbario ab Enslenio lecto sub nomine R. trivialis (addito signo interrogationis): sed differt a Michauxii R. triviali foliolis acuminatis, inaequaliter dentatis, petiolis pedunculisque minime hispidis, petalisque oblongis, minime orbiculatis. A R. hispido Linn. differt, setis penitus deficientibus, floribus semper solitariis, petalisque ellipticis oblongis. Huc forte respicit synonimon R. flagellaris Willd. Enum. I. 549. quod C. Sprengel ad R. hispidum allegavit. E contrario Pursh in Fl. Am. sept. I. 347. sub R. flagellari Rubum trivialem Michauxii intellexisse videtur, cum dicit: „petals more orbicular than no. 8. (R. triviali suo)“ Certe R. flagellaris est merum Synonimon: sed cujusnam speciei, an R. hispidi, an R. trivialis, an R. Enslenii? discernant alii! Ego interim posui ad R. hispidum.

Dixi in memoriam meritissimi Enslen hortulani caesarei Americam missi et in itinere defuncti. T.

RUBUS *radicans. Cavan.*

R. caule prostrato, sarmentoso, aculeato, foliis longe petiolatis, ternatis, orbiculatis, sublobatis, crenatis, utrinque villosis, pedunculis solitariis, elongatis, calycis laciniis dentatis, petalis ovalibus. Spreng.

Rubus radicans. Cavan. Ic. plant. V. p. 7. t. 413. Poir. Enc. VI. 249. C. Spreng. Wiss. Pflzk. p. 514.

Caulis prostratus herbaceus, aculeolis exiguis munitus, filiformis, flagellis bipedalibus et ultra, radicantibus. Folia lobato-orbiculata, ternata, intermedio majore, denticulata, villosa, longe petiolata. Stipulae lineari-subulatae, radicales. Flores ex foliorum fasciculis solitarii, pedunculis folio longioribus villosis. Calyx profunde quinquepartitus, laciniis dentatis subtus villosis, persistentibus. Corolla pallide rubra, petalis ovatis (nec ovalibus!). Staminum filamenta corolla breviora, numerosa, rubentia, calyci inserta: antherae subrotundae. Germina numerosa, receptaculo conico imposita: styli capillares: stigmata simplicia, persistentia. Bacca viridis, ovata, composita ex seminibus ovatis baccatis, parva, sapore gratissimo.

Hab. in regno chilensi prope San Carlos; ad pedes et in ipsis truncis arborum putridis.

Duchesnea esse nequit, ob calycem simplicem. Sed genus novum omnino constituere videtur, intermedium quodammodo inter Rubum atque Fragariam, foliis quodammodo Gei, mensura diminuta.

SERIES V.

H O S T I A N A.

Plantae herbaceae: Flores terminales, subsolitarii. Fructus magni; drupeolae paucae.

Species: R. acaulis. Mich. R. pistillatus. Smith. R. arcticus. L. R. trifidus. Thunb. R. stellatus. Smith. R. Chamaemorus. L.

RUBUS *acàulis. Mich.*

R. herbaceus, pusillus; foliis omnibus subradicalibus, trifoliatis, foliolis sessilibus, lateralibus subtrapezoideis, impari rhombeo: flore unico, brevi-pedicellato. Michaux.

Rubus acaulis. Mich. fl. bor. amer. I. 298. Poir. Enc. VI. 237.

Planta minima, herbacea, subacaulis; folia radicalia triphylla; foliolis lateralibus sessilibus, trapezoideis, terminali rhombeo.

Detecta ab Andrea Michaux in paludosis, turfosis, sphagnosis sinui Hudsonis adjacentibus. A R. pistillato differt caulis defectu, foliolis sessilibus trapezoideis. Cetera deficiunt.

RUBUS *pistillàtus. Smith.*

R. herbaceus, inermis, foliis ternatis, inciso-dentatis, glabris, floribus solitariis, petalis oblongis obovatis, stylis coadunatis. T.

Rubus pistillatus. Smith Exot. Bot. II. p. 53. t. 86. Ait. h. k. ed. 2. III. 270. Poiret Encycl. Supp. IV. 695. C. Spreng. Wiss. Pflzk. p. 514. Pursh Fl. Am. Sept. I. 349.

Caulis herbàceus 1—4 uncialis, rectus, simplex, gracilis, inermis, glaber. Folia alterna, longe petiolata; foliola ternata pedicellata, profunde, ac fere inciso-dentata, lateralia subloba-ta, intermedio late-ovato, utrinque glabra. Flos solitarius, terminalis, pedunculatus, major quam in R. arctico, pedunculo petiolis breviore, tomentoso; calyx suburceolatus 6-fidus et ultra, laciniis linearibus ciliatis; petala totidem, quot calycis laciniae, obovata violaceo-purpurea, obtusa, subemarginatá, calyce duplo longiora; stamina rubra supra pistilla fornicata, erecta; styli in columnam coaliti. Fructus incognitus.

Hab. in Labrador, et in Canada. Affinis R. arctico. Auctores citati cum hoc ut Synonimon conjungunt R. acaulem Mich., quem tamen ut talem allegare non audeo, cum solummodo folia radicalia, foliola sessilia, et florem brevi-pedicellatum habere debeat. R. acaulis hab. ad sinum Hudsonis. T.

RUBUS *arcticus. L.*

R. caule herbaceo, inermi, glabro, subsimplici, retroflexo, foliis ternatis, ovatis, crenato-dentatis, glabris; pedunculis solitariis, petalis obovatis purpureis. T.

Rubus arcticus. Linn. Fl. Lapp. p. 162. t. 5. f. 2. Oed. Fl. dan. III. 488. Curt. Bot. Mag. t. 132. Willd. Sp. pl. II. 1088. Ait. h. k. ed. 2. III. 270. Wahlenb. fl. lapp. p. 144.

„Ingratus essem“ dicit Linneus l. c. „erga beneficam hanc plantam, quae me toties fame et cursu fere prostratum vinoso baccarum suarum nectare refocillavit, si ejus integram non exhiberem descriptionem.“

Radix filiformis, repens, regerminans, perennis. Caulis spithamaeus, obtusissime tetragonus, levissime pubescens, rarissime ramosus. Folia ad genicula caulis solitaria, ternata, quorum inferiora minima, media maxima. Stipulae ovato-lanceolatae; petiolus pollicaris, carinatus; foliola tria subsessilia, late ovata, inaequaliter crenato-dentata, vix manifeste pubescentia, rugosula. Pedunculus petiolo fere longior. Flos terminalis magnitudinae Fragariae collinae. Calyx monophyllus, campanulatus, 5—10-fidus, laciniis linearibus, acutis, viridibus, patenti-reflexis, persistentibus. Corolla plana purpurea, constans tot petalis, quot calyx laciniis. Stamina numerosa, incurva et conniventia, brevissima, pistillos tegentia. Baccae connatae; fructus magnitudine fere Mori nigrae, nigro-purpureus.

Hab. in locis graminosis et sylvaticis et subalpinis Lapponiae, Sueciae et Norwegiae; fructus autem solummodo in territorio maritimo Vestrobothniae maturat. Variat petalis crenato-incisis. Magnates norlandici confici curant e baccis Syrupum, gelatinam, vinum rubiatum etc. quae tanquam bellaria suavissima et nobilissima consumuntur.

RUBUS *trifidus. Thunb.*

R. caule glabro (inermi) simplici, foliis simplicibus, cordatis, trifidis, serratis, utrinque glabris, pedunculis solitariis. Spreng.

Rubus trifidus. Willd. Sp. pl. II. 1089. Thunb. Jap. 217. Poir. Enc. VI. 238. C. Spreng. wiss. Pflzk. p. 515.

Caulis herbaceus, flexuoso-erectus, teres, subsimplex, purpureus, glaber. Folia petiolata, cordata, subrotunda, trifida, utrinque glabra, fere palmaria; lobi incisi, inaequaliter serrati. Flores e gemma cum foliis pedunculati, solitarii, pedunculo simplici, rarius bifido. Petioli et pedunculi villosi, digitales. Calyx albo-tomentosus. Fructus ruber, edulis, grati saporis. Thunb. l. c.

Hab. in Japonia prope Quana. Affinis R. Chamaemoro.

69. S. III. 9.

RUBUS *stellatus!* *Smith.*

R. caule herbaceo, inermi, unifloro, foliis simplicibus, cordato-trilobis, rugosis, subglabris, flore polypetalo, folio breviore. T.

Rubus stellatus. Smith ic. ined. f. III. no. 64. Willd. Sp. pl. II. 1089. Poiret Enc. VI. 238. C. Spreng. Wiss. Pflzk. p. 515. Pursh Fl. Amer. sept. I. 349.

Caulis simplex, erectus, omnino herbaceus, brevis, foliosus, teres, inermis, pubescens, uniflorus. Folia 3 vel 4 in caule (in icone Smith: non plures quam 1—2 praeter bracteas et squammas radicales!) alterna, petiolata, patentia, basi cordata, triloba, acute inaequaliter serrata, rugosa, supra nuda, subtus pallidiora, venis pilosis. Petioli filiformes, pilosi, caulem plerumque superantes. Stipulae binae, ovatae, acutae, membranaceae, nudae. Flos breviter pedunculatus, terminalis, solitarius, erectiusculus, ruber, pro ratione plantae magnus. Calyx basi turbinatus, multinervosus, pubescens, persistens, laciniis septem vel octo, linearibus, acuminatis, longissimis, patentibus. Petala laciniis calycis alterna numeroque paria, paululum longiora, obovato-lanceolata, obtusiuscula, patentia. Stam. filamenta calyce multo breviora, incurva, diu persistentia. Antherae subcordatae. Pist. Germina in fundo calycis, parva. Styli breves. Fructus mihi nondum innotuit. Smith l. c.

Hab. in Americae borealis tractu occidentali: legit Archibaldus Menzies. Affinis R. arctico.

RUBUS *Chàmaemòrus. L.*

R. radice repente, caule simplici unifloro, foliis simplicibus, subreniformibus rotundo-lobatis, plicatis, calycis laciniis oblongis, incisis, floribus dioeciis. Spreng.

Rubus Chamaemorus. L. Fl. lapp. p. 165. t. 5. f. 1. Ej. Fl. suec. p. 150. Wahlenberg Fl. lapp. p. 144. Ej. Fl. upsal. p. 173. Lightfoot Fl. scot. p. 266. t. 13. f. 2. Mich. Fl. bor. am. I. 298. Pursh. Fl. Am. sept. I. 349. Ait. h. k. ed. 2. III. 270. Willd. Sp. pl. II. 1090. Oed. Fl. dan. I. t. 1.

Planta herbacea, perennans. Radices stolonesque repentes, et cum fere semper gregatim crescat, adeo complexi, ut pluribus dubium enatum fuerit, an revera sit planta dioica, vel non potius monoica, solis radicibus cohaerens. Sed hoc omnibus conceptibus physiologiae botanicae contradiceret. Caulis spithameus gracilis, simplicissimus. Folia (2 raro 3)*) simplicia; inferius majus, reniformi-trilobum, superius subquinquelobum, lobis obtusis; utraque pubescentia, subrugosa, inaequaliter dentata. Flos albus, terminalis, solitarius. In mare loco germinum tuberculum amorphum; in foemina staminum rudimenta, pistillis breviora. Fructus magnitudine Mori nigrae, imo major, primo ruber, dein maturus aurantiacus, baccis magnis, mollibus, minusque acidis quam congenerum. Hic nutrimentum praecipuum Lapponum constituit, quem saepe cum lacte Rhenonum mixtum in deliciis habent, vel in doliis collectum per hiemem sub nive conservant, et qui ut egregium remedium antiscorbuticum a medicis danicis suecanisque laudatur.

Hab. in Suecia boreali, praesertim in paludibus Lapponiae, per omnem Norvegiam, Islandiam, in insulis Feröer, Scotia boreali et Cambria, in Pommerania, ad fontes Albis, in Meissnero monte Hassiae, in Curonia, Livonia, Ingria, Sibiria, Kamtschatka, Canada et nova Anglia. In Europa usque ad 53. in America boreali usque ad 44. gradum lat. bor. descendit.

---

*) In C. Clusii hist. rar. I. 118. specimen floriferum tri-et fructificans pentaphyllum delineatum fuit, in Angliae monte altissimo (Engleborow) repertum.

SERIES VI.

MICHAUXIANA.

Frutices sat validi, aculeati. Folia ternata, subsimplicia. Flores subsolitarii.

Species: R. floridus. T. R. spectabilis. Pursh. R. inermis. Willd. R. roseus. Poir. R. coriaceus. Poir.

RUBUS *flòridus.* T.

R. caule recto, subangulato, glabro, aculeis recurvis, ramulis lateralibus glanduloso-pubescentibus floridis, foliis in quibusvis ramulis ternatis, extimo simplici, forma admodum inaequalibus, grosse dentatis, supra glabris, subtus incanis ad nervos tantum pubescentibus; floribus magnis albis, calycibus tomentosis reflexis. T.

Specimen ab Enslenio in America septentrionali lectum, in Musaeo Caes. Reg. conservatum, nomineque deficiens sequentia exhibet:

Caulis fruticosus, subangulatus atropurpureus, lineolis flavicantibus notatus aculeatus: aculeis sat frequentibus, recurvis, non magnis, flavicantibus. Ramuli laterales pollicares, angulato-canaliculati, flavo-viridescentes, copiose aculeati, aculeis minoribus tamen recurvis. In quolibet ramulo folia inferiora ternata, supremum simplex. Petioli, stipulaeque lanceolatae basi connatae, pubescentes, glandulosi et aculeolati. Foliola ipsa semi ad usque pollicem longa, forma insigniter diversa, cordata, ovata, ovalia, lanceolata, cuneata, obovata, suborbiculata et rhomboidalia, supra ex rubro obscure viridia, subtus incana, basi aculeolata, in composito sessilia. Flores axillares, terminalesque, plerumque solitarii, terminales etiam terni, magnitudine Rosae pimpinellifoliae vel Rubi odorati. Petala alba vix apice emarginata, brevissime unguiculata. Calyces extus basi tantum pubescentes et tomento albo marginati, intus cano-tomentosi. Pedunculi bracteis oppositis linearibus pubescentibus muniti, glandulosi, pollicares, filiformes.

Dixi floridum, quod flores non modo numerosi sint sed et admodum spectabiles. T.

RUBUS *spectàbilis. Pursh.*

R. caule ramisque flexuosis, glaberrimis, petiolis pubescentibus, subaculeatis, foliis ternatis, ovatis, acutis, angulatis, inaequaliter duplicato-serratis, subtus pubescentibus, pedunculis terminalibus, solitariis, unifloris, petalis ovatis, calyce longioribus. Spreng.

Rubus spectabilis. Pursh Fl. Am. sept. ed. 2. I. 348. t. 16. C. Spreng. Wiss. Pflzk. p. 512. Poir. Encycl. Suppl. IV. 695.

Frutex elegans 4—5pedalis. Rami geniculati, subflexuosi, teretes, laevigati. Gemmae alternae, ferrugineae, squamae obtusae. Folia e gemmis subfasciculata, ternata. Foliola ovato-oblonga, acuta, inciso-duplicato-serrata, supra glabra, subtus pubescentia, lateralia basi obliqua, intermedio petiolato. Petioli pubescentes, aculeo parvo, recurvato uno alterove instructi. Stipulae lineares. Pedunculi terminales, uniflori, solitarii. Flores magnitudine R. odorati, profunde et amoene purpurascentes. Calyx laciniis oblongis, brevi-acuminatis, pubescentibus. Petala ovata, calyce plus quam duplo longiora. Pursh.

Hab. ad littora Columbiae fluminis, in parte occidentali Americae septentrionalis.

RUBUS *inèrmis. Willd.*

R. caule procumbente glauco-tomentoso, foliis ternatis, subtus albido-tomentosis, foliolis ovatis, acutis, subincisis, inaequaliter serratis, stipulis subulatis. Spreng.

Rubus inermis. Willd. Enum. I. 548. Pursh Fl. Am. sept. ed. 2. I. 348. C. Spreng. wiss. Pflzk. p. 512. Hayne dendr. Fl. p. 107. Poiret Enc. Suppl. IV. 694.

Frutex ramis dependentibus (ad 3—4 pedes terra procumbentibus) fusco-violaceis, pubescenti-pruinosis, inermis. Folia petiolata, ternata. Foliola ovata, supra glabra, saturate viridia, subtus rugoso-venosa, albo-tomentosa, terminale pollicare, lateralia breviora, interdum latere exteriore levissime biloba. Folia in ramulis terminalibus interdum simplicia, triloba. Petioli teretes, inermes. Stipulae setaceo-subulatae. Willd. l. c.

Hab. in Pensylvania. Affinis R. spectabili. Desideratur inflorescentia, flores et fructus.

RUBUS *ròseus. Poir.*

R. ramis flexuosis glabris, foliis ternatis, ovato-lanceolatis, crenulatis, utrinque glabris, nervo medio aculeato, stipulis ovalibus, pedunculis solitariis, petalis calyce glabro minoribus. Spreng.

Rubus roseus. Poiret Encycl. VI. 245. C. Spreng. Wiss. Pflzk. p. 509.

Caulis fruticosus, ramis striatis, glabris, flexuosis, aculeatis; foliis alternis, petiolatis, maximis, simplicibus, aut saepius ternatis; foliola ovato-lanceolata, inaequalia, petiolata, utrinque glabra, margine denticulata, subtus parum pallidiora, petiolis partialibus, nervisque primariis aculeatis; terminali maximo 4—6 pollices longo, ultra 3 poll. lato; stipulae magnae, ovatae, obtusae, oppositae semiamplexicaules. Flores subsolitarii, axillares, longe pedunculati, pedunculi aculeis copiosissimis, rubris, validis, recurvis. Calyces ampli, glabri, laciniis lanceolatis, obtuse acuminatis, margine subciliatis; petala rosea, calyce breviora, subrotunda, unguiculata.

Hab. in Peruvia, ubi lecta a Dombeyo. C. Sprengel cum hoc conjungit, ut synonimum, R. coriaceum, quem tamen silentio praeterire non audeo. Cell. Poiret utrosque vidit in herbario Jussieviano. V. R. coriaceum! Interea Poiret ipse in Enc. Suppl. IV. 693. de R. coriaceo dicit, quod fortasse sit mera R. rosei varietates! T.

RUBUS *coriàceus. Poir.*

R. foliis simplicibus, coriaceis, glaberrimis, ovato-oblongis; pedunculis solitariis, unifloris; caule subsimplici, subinermi. Poiret.

Rubus coriaceus. Poir. Encycl. VI. 237.

Caules recti, subsimplices, herbacei, rubri, compressi, glaberrimi, ad extremitates tantummodo paucis aculeis muniti. Folia distantia, alterna, petiolata, crassa, coriacea, ovata, oblonga, utrinque glabra, supra lucida, margine serrata, fere obtusa; petiolis sparse aculeolatis; stipulis ovatis, dentatis. Flores axillares, solitarii, in summitate caulium, pedunculis simplicibus, rectis, crassis, aculeolis tenerrimis munitis. Calyx magnus, laciniis lanceolatis, acuminatis, glabris viridibus. Petala, quantum Poiret ex specimine sicco dijudicare potuit, flava, rotundata, apice crenulata, calyce breviora.

Hab. in Peruvia; lecta a Dombeyo. Differt a R. roseo, cui ceterum proxime affinis est, a.) ramis herbaceis, subinermibus; b.) foliis simplicibus, obtusis, serratis, c.) calycis laciniis acuminatis; d.) petalis crenulatis, flavis; e.) aculeis pedunculorum gracillimis. T.

SERIES VII.

SCHREBERIANA.

Frutices majores, speciosi. Folia simplicia, cordata, lobata, vel palmata.

Species: R. odoratus. L. R. reflexus. Kerr. R. moluccanus. L. R. Aleeaefolius. Poir. R. Corchorifolius. L. fil. R. incisus. Thunb. R. palmatus. Thunb.

RUBUS *odoràtus. L.*

R. caule erecto inermi, ramulis, pedunculis, petiolis, calycibusque appendiculatis glanduloso-hispidis, foliis simplicibus 3—5 lobis, inaequaliter argute dentatis, supra pubescentibus, subtus hirtis. T.

Rubus odoratus. Willd. Sp. pl. II. 1085. Poir. Enc. VI. 247. Ait. h. k. ed. 2. III. 269. Pursh Fl. Am. sept. ed. 2. I. 348. Hayne dendr. Fl. p. 109. Sims Bot. Mag. IX. no. 323.

Caulis fruticosus erectus, 3—6pedalis, ramis diffusis confertis, teretibus, inermibus, superne tomentosis et glanduloso-hispidis, glandulis rubris, viscosis, odoratis. Folia simplicia, ampla, basi cordata, superiora 3 loba, inferiora 5 loba, lobis acuminatis, supra pubescentia, saturate viridia, subtus pallidiora, tomentoso-hirta, margine summe irregulariter, et argute, saepe duplicato-dentata. Petioli longitudine foliorum; stipulae lineares exiles. Flores cymosi, cymis dichotomis, nonnunquam et solitarii, terminales, magni, speciosi saturate violaceo-purpurei. Calyx suburceolatus, globosus: laciniis intus glabris, extus dense glanduloso-hispidis, acumine subulato appendiculatis. Petala Cisti more undulata, subrotunda, magna, pulcherrima; stamina pallida. Fructus ad testimonium cel. Pursh flavi, sapidi, secundum Poiret autem globulosi, atropurpurei, tomentosi. Apud nos nunquam maturant. Sims dicit, similes esse illis Rubi fruticosi. T.

Hab. in sylvis Canadae, et in montibus alleghanis a New York usque Carolinam. Folia suaveolentia. Copiose colitur in hortis Europae ac Americae.

RUBUS *reflèxus. Kerr.*

R. fruticosus aculeatus, ramis teretibus villosissimis, foliis cordato-oblongis quinquelobis, lobo medio elongato, stipulis bracteisque pectinatis, paucifloris axillaribus reflexis petiolo brevioribus. Kerr.

Rubus reflexus. Bot. Regist. no. 461. C. Sprengel Neue Entdeckungen II. 185.

Hab. in China. Affinis R. moluccano. Frutex sarmentosus, exceptis corolla facieque supina foliorum, undique tomentosus; ramis longissimis, petiolis pedunculisque lanato-tomentosis, aculeis reversis fulvis armatis, (in icone citato centematosis). Folia palmaria ad dodrantalia, transverse $\frac{1}{3}$ angustiora vel circiter, serrata (in ic. serrulata!), a supino virentia, tesselato-rugosa, nudiuscula, ad nervos pilosiuscula, a prono tomentoso-albicantia, reticulato-venosa, vetustiora ad nervos venasque ferrugineo-fuscescentia, inferne subcruciato-quadriloba, lobis 2 inferioribus obtusissimis, inferius ad latus sinu brevi excisis: petiolus triplo brevior lamina: stipulae oblongae breviores petiolo (pectinatae) bracteis membranaceis rotundo-ovatis longiores atque profundius incisae. Paniculae (racemuli potius 3—4 flori!) lanatae, reflexae. Corolla alba (parva) petalis obovatis (rotundatis) calycem non excedentibus. (Sepalae alternatim pectinato-serratae). Antherae lateritio-rubentes. Styli longiores staminibus. Kerr.

RUBUS *moluccànus. L.*

R. foliis simplicibus, cordatis, sublobatis, caule aculeato, decumbente. Linn.

Rubus moluccanus. Linn. Willd. Sp. pl. II. 1086. Poir. Encycl. VI. 247. Lour. Coch. I. 397.

Rubus moluccanus latifolius. Rumph. Amb. V. p. 88. t. 47. f. 2.

Frutex sarmentosus, longe lateque repens, ramis aculeatissimis. Folia alterna simplicia, longe petiolata, cordata, circumferentia obtusiloba, denticulata, glabra, supra saturate viridia, subtus tomentosa, rugosa, ad nervos aculeata, 6—7 pollices longa, vix angustiora. Flores racemosi, racemis axillaribus terminalibusque, subnudis, brevibus, ramosis. Bracteae lacerae; calyces 5-partiti, laciniis ovatis, acuminatis, fere glabris. Fructus ovati, subcompressi, rubri, fragrantes et deliciosi, edules; exceptis tamen infantibus ab incolis insulae Amboinae spernuntur.

Hab. in insulis moluccanis, scil: in Amboina; nec non sylvis Cochinchinae. A quibusdam cum R. Alceaefolio ut una species consideratur, cui quidem affinis, a quo tamen notis allegatis facillime distinguendus. V. R. Alceaefolium. T.

RUBUS *Alceaefòlius. Poir.*

R. foliis palmato-lobatis, superne scabris, subtus tomentosis; calycibus inflato-hirsutissimis; ramis villosis aculeatis. Poiret.

Rubus Alceaefolius. Poir. Encycl. VI. 247.

Frutex distinctissimus latitudine ac forma foliorum, calycibus inflatis valde tomentosis. Altitudo Rubi idaei; rami valde tomentosi, subquadranguli, armati aculeis rubentibus; folia alterna, petiolata, simplicia, lobata, fere palmata, amplissima, glabra, scabra, superne rugosa, subtus tomentosa, nervis flavescentibus, reticulatis, margine argute dentata; petioli, costaeque principales aculeati. Racemi axillares terminalesque, breves, aculeati, valde tomentosi, bracteis multifidis, laciniis capillaribus, pilosis. Calyces inflati, subglobosi, quinquefidi, laciniis ovatis, carnosis; intus albidis, extus rufo-tomentosis. Corolla alba, petalis subrotundis, caducis. Stamina, stylique numerosi.

Lectus in insula Java a Commersonio, conservatur Parisiis in herbario Jussieviano; descriptus ad specimen siccum a Poiretio l. c.

Pr. C. Sprengel hanc speciem conjungit cum Rubo moluccano, cui quidem admodum affinis, a quo tamen differt caule erecto, multo minus aculeato, foliis latioribus, calycibus valde tomentosis. Sane species ulteriori comparatione ac examine digna. Quoad descriptionem ad genus Rosae accedere videtur; scilicet urceolo, et segmentis calycis non ad basin usque partitis. An forte genus novum intermedium?

Rumphius (v. Ej. Herb. Amboin. V. 88.) ambos quidem cognovisse videtur; sed et characteres commiscendo, non sufficientem hoc loco praestat auctoritatem. T.

RUBUS *corchorifolius. L. fil.*

R. ramis tomentosis, aculeis recurvis, foliis cordato-ovatis, acutis, sublobatis, serratis, villosis, nervo medio supra aculeato, pedunculis axillaribus solitariis tomentosis. Spreng.

Rubus corchorifolius. Linn. suppl. 263. Willd. Sp. pl. II. 1087. Poiret Encycl. VI. 248. C. Spreng. wiss. Pflzk. p. 511.

Rubus villosus. Thunb. Fl. jap. p. 218.

Frutex ramis tomentosis, rectis, aculeatis; foliis simplicibus, alternis, petiolatis, oblongis, cordatis, acuminatis, serratis, supra viridibus, subtus albo-tomentosis, ad nervos principales petiolisque sparse aculeatis. Flores solitarii axillares; pedunculi tomentosi, uniflori. Calyx albo-tomentosus. Petala parva (alba?) vix calycem excedentia.

Hab. in Japonia inter Miaco et Jedo; detecta a Thunbergio.

RUBUS *incisus. Thunb.*

R. ramis glabris, aculeis sparsis subrecurvis, foliis cordato-subrotundis, inciso-serratis, utrinque glabris, pedunculis solitariis glabris. Spreng.

Rubus incisus. Thunb. Fl. japon. 217. Willd. Sp. pl. II. 1086. Poiret Encycl. VI. 249. Sprengel Wiss. Pflzk. p. 511.

Caulis frutescens, erectiusculus, glaber, purpureus, aculeatus, aculeis sparsis, patentibus. Rami cauli similes, aculeis frequentibus. Folia e gemma plura, petiolata, cordata, ovata, rotundata, raro acuta, incisa, sublobata, serrata, nervosa, nervis elevatis, utrinque glabra, inermia, pollicaria. Petioli glabri, recurvato-aculeati, patentes, longitudine foliorum. Pedunculi capillares, inermes et aculeati glabri, longitudine petiolorum. Flores axillares, pedunculati, solitarii. Calyx extus glaber, intus albo-tomentosus. Thunb. l. c.

Hab. in Japonia. Affinis R. palmato Thunb. (R. microphyllo L.)

RUBUS *palmàtus. Thunb.*

R. ramis teretibus flexuosis glabris, aculeis sparsis recurvis, foliis cordato-oblongis, 3—5 lobis, argute inciso-dentatis, glabris, floribus solitariis axillaribus, cernuis. T.

Rubus palmatus. Thunb. fl. jàp. 217.

Rubus microphyllus. C. Spreng. Wiss. Pflanzenk. p. 510. Willd. Sp. pl. II. 1086.

Frutex ramis subretroflexis, aculeis sparsis, parvis, plerisque recurvis; ad quemlibet nodum gemma foliifera simul atque florifera. Petioli glabri, aculeolis minutis sparsis muniti, longitudine foliorum; stipulae subulatae, falcatae, caducae. Folia simplicia, juniora cordato-ovata, intermedia triloba, seniora 5-loba, ultra 2 pollices longa, inciso-denta, vel et serrata, dentibus maxime inaequalibus, argutis; lobus intermedius valde elongatus, attenuatus. Flores axillares, cernui vel penduli; pedunculis flore brevioribus inermibus; calycis laciniae 5-partitae, attenuatae; petala semipollicem longa, lanceolata, maculata; Fructus dicuntur lutei.

Hab. in Japonia.

SERIES VIII.

BELLARDIANA.

Frutices validi. Caules teretes, pubescentes vel hirsuti, aculeis minutis armati. Folia simplicia, nec palmata. Flores dense paniculati.

Species: R. elongatus. Smith. R. pyrifolius. Smith.

86. S. III. 11.

RUBUS *elongàtus. Smith.*

R. ramis viscoso-pubescentibus, minute aculeatis, foliis simplicibus, cordato-acuminatis, repando-dentatis, subtus albo-tomentosis, panicula elongata, floribus glomeratis, calycibus obtusis. T.

Rubus elongatus. Smith Icon. ined. III. no. 62. Willd. Sp. pl. II. 1087. Poiret Encycl. VI. 248. Spreng. wiss. Pflanzenkunde p. 511.

Caulis fruticosus, teres, pubescens, aculeis minutissimis, sparsis munitus, viscosus. Folia alterna, petiolata, 2—3 pollices longa, cordato-oblonga, acuminata, repando-dentata (duplicato-crenata dicuntur a Smithio l. c. sed icon penitus contradicit!) crenaturis acutis (ergo non crenaturis, etsi ill. Smithius per parenthesin dicat, in icone sua nimis aliquantulo acutas delineatas fuisse!) supra glabra, viridia, subtus albo-tomentosa, venosa. Petioli foliis breviores, teretiusculi, pubescentes, inermes. Stipulae nullae vel caducae. Panicula terminalis, elongata, pedalis et ultra, tomentosa, retroflexa, multiflora, alterne ramosa. Pedicelli conferti vel solitarii, breves, superne paululum incrassati, sericei, erecti. Bracteae (in icone etiam interjectum folium florale ovato-lanceolatum pollicare) oblongae, concavae, extus pubescentes, apice dentatae, deciduae. Calyx semiquinquefidus, laciniis obtusis, cum mucronulo, sericeus. Petala subrotunda alba. Stamina corolla breviora; antherae oblongae. Germina subrotunda; styli breves. Fructus in auctoritatem Commersonii dicitur ruber.

In insula Java legit Commerson.

RUBUS *pyrifòlius. Smith.*

R. foliis elliptico-lanceolatis, acuminatis, serratis, ad venas utrinque hirsutis; aculeis sparsis exiguis, bracteis multifidis, petalis minimis. T.

Rubus pyrifolius. Smith Ic. ined. herb. Linn. f. III. p. et t. 61. Willd. Sp. pl. II. 1088. Poiret Encycl. VI. 248. C. Spreng. wiss. Pflzk. p. 511.

Caulis fruticosus, subflexuosus, teres, leviter hirsutus, aculeis parvis recurvis. Folia alterna, petiolata, patentia, ovalia, acuminata, serrata, venosa, glabra, venis utrinque hirsutis. Petioli breves, hirsuti. Stipulae vix ullae. Panicula terminalis, erecta, subthyrsoidea, multiflora, alterne ramosa, pubescens. Pedunculi e rudimentis florum abortivorum nodosi, subdivisi. Pedicelli teretes, vix incrassati. Bracteae oblongae, multifidae, pubescentes, deciduae. Calyx profunde quinquefidus, laciniis ovatis, acuminatis, exterioribus apice trifidis, utrinque tomentosus. Petala minutissima, calyce quadruplo breviora, ovalia, obtusa, apice dentata. Stamina: filamenta capillaria, calyce paullo breviora; antherae subrotundae, didymae. Pistillum: germina pubescentia; styli erecti, longitudine staminum; stigmata obtusa. Fructus ex acinis paucis ovatis compositus videtur: colorem ejus nescio. Smith.

In insula Java legit Commerson. Considerans habitum penitus abnormem, petala more Ribeos minima in angulis calycis sita, bracteas multifidas et calycis lacinias veluti in Rosa pinnatifidas, tandemque pistilla numero vix ultra 5, novum genus in hac planta conspicere puto: Velint autem attente inquirere, an revera tale sit, quibus occasio parata dabitur, plantam vivam examinandi, et fructum conspiciendi. T.

Species minus cognitae.

R. suberectus. Anders. R. sanguinolentus. Link. R. albicans. Kitaib. R. ulmifolius. Schott fil. R. obovatus. T. R. parviflorus. Nutt. R. rugosus. Smith. R. cochinchinensis. T.

RUBUS *suberèctus. Anderson.*

R. caule erecto, aculeis sparsis, non pungentibus, nec rigidis; foliis pinnatis, bi-trijugis, superioribus ternatis; foliolis ovatis pubescentibus.

Rubus suberectus. Anders. in Linn. Trans. II. 218. Gray Brit. pl. II. 587. Engl. Bot. 2572. Flora I. 159 et IV. 2. p. 411.

Rubus Nessensis. W. Hall. Tr. R. Edinb. Soc. III. 20.

Caulis fruticosus suberectus, debilis, ramosissimus, divaricatus, aculeatus; aculei sparsi, paucissimi; foliola attenuata, laete viridia, supra glabra; panicula elongata; corolla alba, magna; fructus purpureo-nigri deliciosi; drupae plurimae.

Hab. in sylvis septentrionalibus Magnae Brittaniae. C. Sprengel. hanc speciem cum R. corylifolio conjungit; an merito?

RUBUS *sànguinolèntus. Link.*

R. caule dense aculeato strigosoque, foliis quinatis, foliolis lanceolatis, acuminatis, serrulatis, glabris, pedunculis axillaribus paucifloris. Link.

Rubus sanguinolentus. Link Enumer. hort. berol. ed. alt. II. 61.

Rami, aculeorum bases, strigae, nervi et maculae foliorum hinc inde rubrae.

Hab. in insula Franciae. ♉.

RUBUS *albicans. Kitaibel.*

R. foliis quinatis, ternatisque; foliolis cordato-ovatis, lateralibus subsessilibus, utrinque albo-tomentosis; caulibus angulosis aculeatis, aculeis recurvis; petiolis pedunculisque glanduloso-scabris.

Rubus albicans. In fidem cell. Kitaibelii Schultes in Oesterr. Flora ed. 2. II. 80.

Hab. in dumetis Hungariae. ♉.
Videtur affinis R. fruticoso.

RUBUS *ulmifòlius. Schott. f.*

R. caule decumbente, aculeatissimo, foliis ternatis, foliolis subcordatis ovalibus, duplicato-acute crenatis, glabris, subtus aculeatis. Link.

Rubus ulmifolius. Link Enumer. hort. berol. ed. alt. II. 61.

Hab. in Hispania. ♉. Rami ruberrimi. Affinitatem divinare nequeo. T.

RUBUS *obovàtus. T.*

R. caule hispido, foliis ternatis, obovato-subrotundis, serratis, nudis, stipulis setaceis, racemis subcorymbosis paucifloris, bracteis ovatis, pedicellis elongatis. Spreng.

Rubus obovàlis. Mich. Fl. bor. amer. I. 298. Pursh. Fl. Am. sept. ed. 2. I. 349. Poir. Encycl. VI. 239. C. Spreng. wiss. Pflzk. p. 512.

Rami duriusculi, sublignosi, hirsuti; folia alterna, petiolata, tripartita, lobis ovatis, subrotundis, basi angustatis, apice dilatatis, obtusis. Flores in racemis compositis. Fructus bacca unica, aut paucae sat magnae, nigrae, sapidae.

Hab. in paludibus sphagno abundantibus a Nova Caesarea (New-Yersey) ad Carolinam. Affinis videtur R. saxatili.

Cum nomen triviale a Michauxio inditum (o b o v a l i s scilicet) ineptum et contradictorium sit, mutatio a me suscepta necessaria videbatur. Ovale enim idem est ac ellipticum, ellipsis autem utroque fine aequalis est; nulla ergo inversio formae cogitari potest. Revera Michauxius figuram obovatam subintellexit. Nomen autem ineptum permutari debet cum adcommodato. v. Linn. Philos. bot. ed. 4ta p. 369. no. 302.

RUBUS *parviflòrus. Nutt.*

R. foliis palmato-lobatis, pedunculis subtrifloris, calycibus villosis acuminatis, petalis calyce brevioribus, ovato-oblongis. Spreng.

Rubus parviflorus. Nuttal Gen. I. 308. C. Sprengel Wiss. Pflzk. p. 513.

Hab. in insula Michillimakinak lacus Huronum.
Affinis forte R. pedato?

RUBUS *rugòsus. Smith.*

R. inermis, ramis, foliis subtus, calycibusque fusco-villoso-tomentosis, foliis subtrilobis, lobo medio producto, floribus solitariis breviter pedunculatis. Link.

Rubus rugosus. Link Enumer. hort. berol. ed. alt. II. 62. in auctor. clariss. Smith: in Rees Cyclopaed.

Hab. in America meridionali. ♉. Corolla alba calyce brevior. In herbario Willdenowii est ab Humboldtio missus. Link.

An affinis R. spectabili? T.

RUBUS ***cochinchinènsis. T.***

R. caule procumbente, aculeato; foliis quinatis, subtus tomentosis, flavescentibus; racemis terminalibus; drupeolis minimis. T.

Rubus fruticosus. Lour. Cochinch. ed. Willd. I. 398.

Cây Ngêi chiả lá. Cochinch.

Caulis fruticosus, longus, procumbens, aculeatus, ramosus. Folia quinato-digitata, serrata, subtus tomentosa, flavescentia: petiolis aculeatis, sparsis (? aculeis ?), longis. Flos albus, racemis terminalibus, pedunculis aculeatis. Bacca subrotunda, nigra edulis, dulcis, composita acinis monospermis, minimis. Lour.

Hab. in sylvis et ad sepes Cochinchinae. Rubus fruticosus non esse videtur ob folia flavescentia et fructus e drupeolis minimis compositos. Sed multa adhuc desiderantur de hac specie. T.

KERRIA *De C.* *Rubus. Linn.* *Corchorus Thunb.*

(Syst. sex. Icosandr. polygyn. A. n. Rosaceae. G. p. Dalibarda.)

Char. gen. Calyx 5-fidus, lobis ovatis, 3 obtusis, 2 apice colloso-submucronatis, aestivatione imbricatis: Petala 5 orbiculata, calyci inserta, ejusdem lobis alterna; Stamina circiter 20, filiformia, calyci inserta; antherae ovatae: Ovaria 5—8, libera, glabra, globosa, ovulo unico lateraliter adhaerente foeta: styli totidem filiformes. Capsulae (ex Thunb.) globosae. Decand. in Trans. of the Linn. Soc. Vol. XII. p. I. pag. 156.

Species unica per omnes Europae hortos divulgata, sed solummodo floribus plenis, sub nomine Corchori japonici. Clariss. De Candolle vidit specimen flore simplici in herbario Linneano Londini conservatum, et se certum reddidit, Rubum japonicum L. esse eandem speciem ac Corchorum japonicum Thunb. Cum vero Linneus petala alba dixerat, factum est, quod nemo suspicarétur hanc identitatem. Sed jam Andrewsius dubitavit de certitudine generis in Corchoro japonico, et De Candolle vidit in specimine sicco Linneano, petala potuisse flava vel saltem pallida fuisse. Linneus sine dubio ex affinitate conjecturavit albedinem petalorum non bene conservatorum. Jam ipsi Japanenses hanc affinitatem sentire videntur, cum hunc fruticem Jamma Buki appellant, Buki vero Rosam indicat.

Usus solummodo ornamentarius; sed non modo in Europa, sed etiam in hortis Japanensium et Chinensium: nam et in his fere semper floribus plenis luxuriat.

Nomen inditum in honorem Wilhelmi Kerr, hortulani anglicani, cui res herbaria multa debet officia.

KERRIA *japònica. De C.*

K. caule inermi, foliis alternis, simplicibus, cordato-ovatis, attenuatis, inciso-serratis, petiolatis, stipulis caducis subulatis, bracteisque conformibus; floribus brevi-pedunculatis, solitariis, axillaribus, terminalibusque. T.

Kerria japonica. De Cand. in Linn. Trans. XII. p. 157. Link Enum. h. Ber. II. 66.

Rubus japonicus. Linn. Mant. p. 245.

Corchorus japonicus. Thunb. Fl. jap. 227. Willd. Sp. pl. II. 1218. Ait. h. k. ed. 2. III. 314. Andr. Bot. Repos. IX. 587. Sims Bot. Mag 1296.

Corchorus flore pleno. Houttuyn Linn. Pfl. Syst. VII. p. 245. t. 54. f. 2.

Teito vulgo Jamma Buki Cytisi facie, frutex sylvestris, folio ex circinnata basi in acutum mucronem excurrente, triunciali ac longiori, multis aequalibus nervis decorato, ambitu crenato et acutissimis denticulis serrato; flore simplici luteo Ranunculi, Rosae caninae facie ac magnitudine, ut plurimum pentapetalo, saepe hexapetalo ac heptapetalo. Kaempf. Amoen. exot. p. 844.

Jamma Buki alter, flore capitato Bellidis majusculo, luteo, pleno, sine staminibus. Kaempf. l. c. p. 845.

Frutex 2—10pedalis, ramosissimus, inermis, cortice cinereo, ramulis lateralibus tandem virgatis e gemmis squammosis oriundis: folia alterna basi cordata, vel rotundata, immo appendiculata, lobata, ternata, integra, antice inciso-serrata 2—4 pollicaria, nervis paralellis distincta, supra villosa, subtus canotomentosa: petioli breves: stipulae nullae aut minimae, subulatae, caducae. Flores lutei. Germina plura ovato-oblonga, acuminata. Fructus ignoti (sec. Thunb. capsulae globosae) sine dubio in receptaculo compositi.

Hab. in Japonia circa Nagasaki, Miaco et alibi. In hortis europaeis usquedum non nisi floribus plenis habetur.

DALIBÀRDA *L.* *Rubus Willd. Smith. etc.*
(Syst. sex. Icosandr. polygyn. A. n. Rosaceae. G. p. Waldsteinia.)

Char: gen. Calyx monophyllus sub-campanulatus 5-fidus, lobis apice subdenticulatis, ebracteatus, in sinu suo germina fovens, ad limbum stamina numerosa, decidua ferens. Pistilla 5—10; styli exserti, staminibus breviores. Akenia impropria aggregata, calyce persistente involucrata, pauca, sessilia, intus cartilaginea et subdrupacea, semine appenso, stylis persistentibus. T.

Species usquedum paucae cognitae in Americae utriusque zonis temperatis habitantes, herbaceae, repentes, oliganthae. Una praeterea species, in cel. Steudelii Nomenclatore botanico designata (D. ternata Stephani) a me ad genus Waldsteiniae relata fuit, dummodo specie sufficienter diversa sit a W. fragarioide? Genus Linneanum a Smithio ac Willdenowio cum Rubo reunitum, sed sufficienter diversum, praecipue akeniis siccis, et calyce monophyllo, subcampanulato. Separanda vero D. fragarioides, quae cel. Prof. Argentoratensi, Nestlero proprium genus constituit, quod illi Comaropsis audit; sed pro nostro judicio a Waldsteinia non sufficienter differt, adeoque cum illa conjungendum est.

Nomen in venerationem Dionysii Dalibard, Galli, editoris Florae Parisiensis. T.

DALIBARDA *repens. L.*

D. stolonifera, villosa, foliis longe petiolatis, simplicibus, cordatis, crenatis pedunculis ebracteatis. T.

Dalibarda repens. Linn. Sp. pl. I. 491. Pursh Fl. Am. sept. ed. 2. I. 350. Poiret Encycl. VI. 250.

Dalibarda violaeoides. Mich. Fl. bor. am. I. p. 299. t. 27. Ait. h. k. ed. 2. I. 271.

Rubus Dalibarda. Willd. Sp. pl. II. 1090. Smith. ic. ined. I. no. 20.

Radix repens; caulis prostratus, stoloniferus, radicans, herbaceus, perennans. Folia e stolonibus sparsa, longe petiolata, erecta, cordata, apice rotundata, margine plerumque aequalia, sed et nonnunquam sublobata, inaequaliter crenata, venosa, supra pilosa, subtus glabra, Violae hirtae similia, sed firmiora, subinde rubicunda. Petioli villosi, basi squammulis ramentaceis involucrati. Pedunculi axillares, ebracteati, filiformes, solitarii, uniflori, villosi, petiolis longitudine subaequales. Flores hermaphroditi, mediocres; calyx 5-fidus basi subcampanulatus, laciniis lanceolatis, acutis, saepius apice denticulatis, pubescentibus; petala elliptica, calyce majora, alba; stamina plurima, capillaria, petalis aequalia; antherae minimae subrotundae. Pistilla 5—10; Germina semiovata, subcompressa, villosa; styli persistentes, staminibus dimidio breviores; stigmata subsimplicia. Fructus: akenia plura congesta, calyce involucrata, subsessilia, intus cartilaginea et subdrupacea, semine appenso. T.

Hab. in nemorosis et turfosis Canadae, et in altis montibus Novae Angliae et Pensylvaniae, florens Majo, et Junio.

DALIBARDA *pedàta. Steph.*

D. stolonifera, foliis quinato-pedatis, foliolis inciso-serratis, pedunculis foliiferis, infra medium et basi bracteatis, calycis laciniis reflexis, apice dentatis, glabriusculis. T.

Dalibarda pedàta. Stephan in Memoires des Nat. de Moscov. I. p. 129.

Rubus pedatus. Smith ic. ined. I. no. 63. Willd. Spec. pl. II. 1088. Pursh. Fl. Amer. sept. ed. 2. I. 349. Poiret Encycl. VI. 239.

Radix stolonifera, geniculis radicantibus, superne pedunculiferis; pedunculis filiformibus, superne pubescentibus: ad basin pedunculorum bracteae aggregatae, ramentaceae, oppositae, patentes, ovatae, integerrimae, pari ultimo remotiori, minori, infra medietatem pedunculi, sessiles; pedunculi 4—6, pollicares, basi ex axillis bractearum foliiferis. Petioli 3—5-pollicares filiformes, canaliculati, glabriusculi, inermes. Folia, veluti in Rubis plurimis, apparenter quinata, sed reapse ternata, pari scilicet extimo non petiolo communi sed petiolis tantum partialibus affixo, et iterum retrorsum sublobato; foliolis breviter petiolatis obovatis, basi attenuatis, irregulariter et argute inciso-dentatis, venosis, utrinque viridibus, nudis, ad venas pubescentibus. Flos terminalis media magnitudine: calycis laciniae oblongae, reflexae, 2—3dentatae, glabrae, vel levissime pubescentes; petala (alba?) longitudine calycis, elliptica, patentia, apice rotundata et tenuissime denticulata. Stamina petalis breviora; antherae parvae subrotundae. Pistilla pauca; germina parva, ovata, glabra; styli staminibus paullo breviores; stigmata obtusa. Fructus ignotus. T.

Hab. in Americae borealis tractu occidentali: legit Archibaldus Menzies. Ni forte Waldsteinia, quod interim ob fructus defectum decidi nequit, cetera omnia pro genere Dalibardae militant, et jam cel. Pursh l. c. dicit: „This species may probably belong to the genus Dalibarda.“

DALIBARDA *geòides. Pers.*

D. caulescens, foliis simplicibus, ternatisque, glaberrimis, foliolo impari maximo, cordato, obtuso, irregulariter argute dentatis; pedunculis brevibus. T.

Dalibarda geoides. Pers. Syn. II. 53.

Rubus geoides. Smith ic. ined. I. no. 19. Willd. Spec. pl. II. 1089. Poiret Enc. VI. 238.

Caulis herbaceus, humilis (videtur stoloniferus); ramuli vix pollicares, glabri. Folia alterna mediocriter petiolata, petiolis quibusdam apice pubescentibus; pauca simplicia, ovato-cordata, apice rotundata, vel emarginata, majuscula, venosa, utrinque glaberrima, margine irregulariter eroso-vel inciso-et argute dentata; alia et plurima ternata, foliolis terminalibus simplicibus aequalibus, lateralibus multo minoribus, orbiculatis, ceterum conformibus, omnibus sessilibus. Foliola in junioribus acutiuscula, inciso-lobata. Pedunculi terminales, breves, crassi, pubescentes. Flores solitarii magnitudine Potentillae vernae; Petala subrotunda, (alba?) Cetera desiderantur.

Hab. in America meridionali ad fretum magellanicum; legit Commerson. Habitus Dalibardae simillimus. Poiret, Persoon et ipse ill. Smith affinitatem cum D. repente profitentur. Hic ultimus l. c. dicit: „A Rubo Dalibarda differt foliis ternatis glabris, serratis potius quam crenatis, pedunculis brevibus crassis, nec filiformibus longissimis; petalis subrotundis nec lanceolatis.“

WALDSTEINIA *Willd. Dalibarda Mich. Comaropsis Nestler. Dryas Pall. Geum. Moench.*

(Syst: sex. Icosandr. digyn. A. n. Rosaceae. G. p. Geum.)

Char. gen. Calyx monophyllus, campanulatus, 5—10-fidus, ad limbum annulo crenulato sub staminibus coronatus. Stamina numerosa persistentia. Pistilla 2—4 in fundo calycis, germinibus subpedicellatis. Akenia 1—4 subglobosa, ad apicem nudum subumbilicata, subcarnoso-coriacea. T.

Usquedum sola W. geoides huic generi tributa fuit: sed Dalibarda fragarioides plus differt a Dalibarda quam a Waldsteinia: ideo ad Waldsteiniam refero, a qua non nisi calyce 5-fido et akeniis basi minus coarctatis differt, ceterum habitu et ipso colore florum luteo convenit. Cel. Prof. Nestler inde novum genus, Comaropsidem constituit, quod alii iterum cum Dalibarda conjunxerunt. Genere hoc novo derelicto, nil remanet nisi coadunatio cum Waldsteinia, cujus proximam affinitatem et ipse Prof. Nestler agnovit.

Nomen generis in memoriam illustriss. Comitis Francisci de Waldstein, cöeditoris Plantarum Rariorum Hungariae.

WALDSTEINIA *geòides Willd.*

W. foliis radicalibus subquinquelobis, caulinis sessilibus trilobis, lobis subdivisis, plicatis, crenatis, utrinque pubescentibus, ciliatis; calyce decemfido, petalis apice rotundatis; radice repente. T.

Waldsteinia geoides. Willd. Spec. pl. II. 1007. Pers Syn. II. 36. Poiret Encycl. VIII. 784. Ait. h. k. ed. 2. III. 204. Waldst. et Kitaib. ic. pl. rar. Hung. I. p. 79. t. 77. Schult. Oesterr. Fl. II. 46. Baumgart. Fl. Transylv. II. 37.

Radix perennis, repens, rhizomata distantia emittens. Caules ex eodem foliorum radicalium fasciculo plures, semipedales, stricti et obliqui, teretes, simplices, superne pro inflorescentia divisi. Folia plicata, rugoso-venosa, utrinque pubescentia, ciliata; radicalia plurima, longe petiolata, reniformia, subquinqueloba, lobis inaequaliter subdivisis, incisis, crenatis, dentatis, serratisque; caulina pauca, pleraque sessilia vel brevissime petiolata, unum in medio caule, reliqua ad divisiones ejusdem et ad pedunculos sita, sursum decrescentia; stipulae basin petiolorum caulinorum stipantes, lineares, pilosae, apice fuscescentes. Flores 2—3, terminales in ramulis prolificantibus, plus minus longe pedicellati, bracteis et foliis floralibus suffulti, altero plerumque ebracteato. Calyx campanulatus, limbo 10-fidus, intus appendice circulari coronatus, extus pubescens, 10 lineis eminentibus in lacinias excurrentibus distinctus, alternis, majores lanceolatas, minores lineares; petala calyce majora lutea, nitida, brevissime unguiculata, ovato-subrotunda, apice rarius emarginata. Germina 2—3, obovata, subglabra, pedicellata; styli longitudine staminum, decidui; stigmata obtusa. Akenia pubescentia, fusca, tribus lineis longitudinalibus prominentibus notata, plus minus globosa vel elliptica. T.

Hab. in nemoribus montosis Hungariae et Transylvaniae. Planta habitu ideas conjungens Gei urbani, Alchemillae vulgaris et Dalibardae pedatae. T.

WALDSTEINIA *Mönchii. T.*

W. caule obliquo, foliis radicalibus pinnatis, caulinis trilobis, stipulaceis: pericarpiis muticis. Mönch.

Caryophyllata obliqua. Mönch. Suppl. ad meth. p. 280.

Geum obliquum. Steudel nomencl. p. 366.

Caulis simplex, teres, tripedalis, obliquus, hirsutus, 3—5 florus. Folia radicalia pinnata: pinna extrema maxima ovata, quinquepartita, crenata, crenis acutis: caulina petiolata, alterna, ovata, triloba, inciso-dentata. Stipulae oblongae dentatae, hirsutae, petiolo adnatae. Calycis laciniae quinque majores petalis longiores. Petala crocea, obovata, emarginata. ♃. Mönch.

Colitur in horto Marburgensi. Ob pericarpia mutica minime dubito, hanc plantam referri debere ad genus Waldsteiniae. T.

WALDSTEINIA *fragariòides. T.*

W. foliis radicalibus longe petiolatis ternatis, foliolis sessilibus cuneiformibus inciso-lobatis, inaequaliter crenato-dentatis, glabriusculis ciliatis, scapis filiformibus aggregatis, floribus corymbosis, bracteis linearibus, calycis tubo acute obconico. T.

Dalibarda fragarioides. Michaux Fl. bor. amer. I. 300. t. 28. Pursh Fl. Amer. sept. ed. 2. I. 350. Pers. Syn. II. 53. Poiret Encycl. VI. 250. Link. Enum. h. Berol. II. 62. Ait. h. k. ed. 2. III. 271.

Comaropsis fragarioides. Nestler Mon. de Potentilla p. 8. t. 1.

Dryas trifoliata. Pall. in herb. Lambert.

Rhizoma repens sat validum, ramulos distantes emittens, e quibus fasciculi foliorum radicalium et scaporum egrediuntur. Petioli filiformes, 3—4 pollicares et ultra, basi stipulis linearibus obvallati; foliola ternata sessilia basi cuneata, antice rotundata, inciso-lobata, crenato-dentata, lateralia subappendiculata, inaequilatera, utrinque fere glabra, uncialia, viridia, venosa; corymbi pauciflori, laxi, folia excedentes; scapi pedicellique stricti; bracteae ad ortum pedicellorum lineari-lanceolatae, parvae. Calyx inverse conicus, limbo quinquefido, laciniis lanceolatis, patentibus. Corolla calyce triplo major, pentapetala, petalis obovatis, apice rotundatis, luteis; stamina capillaria, antheris deciduis cum fructu persistentia; pistilla 2—4—5; germina brevi-pedicellata, elliptica; styli longitudine staminum, decidui; stigmata obtusa. Akenia in urceolo calycis, 1—5, obovato-oblonga, glabra, basi attenuata; embryo et semen erectum teres, cotyledones obovatae, radicula brevissima, basibus illarum, paullo angustior, recta. T.

Hab. in faginetis Canadae et in montibus alleganis; fl. Majo, Junio. ♃. ♉. Calyx 5-fidus fere unicum est, quod hanc speciem a Waldsteiniae genere separare videtur: sed cum flores W. geoide triplo minores sint, hic defectus forte meris plicis angularibus vicariis compensatur? T.

WALDSTEINIA *sibirica. T.*

W. caule repente; foliis ternatis, longe petiolatis, pilosis; petiolis basi vaginantibus alternis; pedunculis paucifloris; floribus albis. T.

Dalibarda ternata. Stephan in Mem. d. l. Soc. des Natur. de Moscou. I. 129. tab. 10.

Radix fibrosa. Caulis repens teres pilosus, apice foliosus. Folia erecta alterna petiolata, ternata; foliola brevissime petiolata obovata, basi cuneiformia, integerrima, apice obsolete bi, vel triloba, crenata, pilosa, ciliata, subtus pallida; petioli longissimi, erecti filiformes canaliculati, superne pilosi, basi dilatati in membranam amplexicaulem. Stipulae nullae, nisi squammae paucae membranaceae, interjectae vaginis petiolorum. Pedunculi scapiformes, unus vel plures, axillares, solitarii, filiformes 3—5 flori, glabri, petiolis duplo longiores. Bracteae ternatae, foliolis integerrimis pilosis, lateralibus stipularibus brevissimis ovatis, impari lanceolato longissimo. Flores hermaphroditi, longe pedicellati, Tormentillae florum magnitudine, deflorati nutantes. Calyx inferus monophyllus, quinquefidus, pilosus, laciniis ovatis patentibus petalis brevioribus. Petala patentia subrotunda, brevissime unguiculata, alba. Stamina circiter 30. Germina 5 hirsuta; styli erecti longitudine staminum. Semina nuda pilosa exsucca, connata sutura longitudinali. Stephan.

Hab. in Sibiria. Laxmann et Sievers. Planta Fragariae magnitudine. Steph. Differt a Waldst. fragarioide, cui ceterum simillima, defectu receptaculi obconici, pedunculis brevioribus, petiolis longioribus, alternis, bracteis et floribus albis. T.

WALDSTEINIA *Doniàna.* *T.*

W. caule repente, foliis ternatis: foliolis obovatis, lobatis, irregulariter dentatis, ciliatis, terminali petiolato; pedunculo petiolis longiore: floribus paniculatis, brevipedicellatis; petalis calyce brevioribus. T.

Dalibarda frágarioides. Sims in Bot. Mag. XXXVIII. no. 1567. (exclus. Synon.)

Caulis repens, sanguineus, pubescens. Folia ternata, petiolis basi sanguineis dilatato-amplexicaulibus, ciliatis, canaliculatis. Foliola obovata, irregulariter dentata, glabra, ciliata, saturate viridia, per senectutem tandem in colorem tristem abeuntia: terminale trilobum, basi subcordatum, petiolo partiali suffultum; lateralia inaequilatera, latere exteriore bilobo. Pedunculus 4-uncialis, petiolis altior, axillaris, tenue pubescens, superne in paniculam laxam divisus. Bracteae oblongae, acutae, basi auriculatae, pubescentes. Calycis urceolus obconicus, 5-fidus, laciniis patulis, pubescentibus: nonnunquam in angulis harum lacinia una alterave accessoria conspicitur, quae propensionem indicat, calycem decemfidum efformandi. Corolla lutea; petala oblongo-obovata, calyce breviora. Stamina plurima petalis breviora annulo carnoso in limbo calycis adfixa, post petala persistentia, antheris caducis. Germina globosa tria: styli recti, filiformes, staminibus longiores.

Hab. in America septentrionali: unde in hortum kewensem adlata fuit a Dno. Georgio Don. ♃. Descripsi ad iconem egregiam et ad observationem Simsii. Tot enim et tam graves differentiae officium imponunt, attentionem Curiosorum in speciem dirigendi, quae pluribus rationibus eadem digna videtur. A W. fragarioide apertissime differt petalis calyce minoribus, pedicellis brevibus, foliolis non cuneatis sed obovatis, terminali petiolato. Nominavi in honorem detectoris. T.

GEUM *L. Caryophyllata Tournef. Scop. Lam. Moench.*

(Syst. sex. Icosandr. polygyn. A. n. Rosaceae. G. p. Dryas.)

Char: gen: Calyx monophyllus, profunde decemfidus, campanulatus, laciniis alternis minimis, acutis. Corolla rosacea: petala obcordata, unguibus calycis fauci insertis. Stamina numerosa subulata, calyci inserta. Germina numerosa congesta. Styli lateribus germinum inserti, pilosi, staminibus longiores persistentes. Gynophorum columnare hirsutum. Akenia plurima, in spicam squarrosam disposita, compressa, hispida, stylo geniculato aristata. T.

Geum cel. Moenchii est genus plures Saxifragae species complectens, veluti S. umbrosam, S. Geum, S. rotundifoliam et sim. al. Nomen Plinianum derivatur a γευω bene sapio, ob radicem sapidam et aromaticam.

Si nostrae novae Waldsteiniae species amandatae novo generi adnecterentur, tunc certe etiam genus Gei in plura dispesci deberet. T.

SERIES I.

M U R R A Y A N A.

Flores numerosi, parvi; aristae hamatae. Folia lyrata.

Species: G. urbanum. L. G. canadense. Murr. G. japonicum. Thunb. G. macrophyllum. Willd. G. Portenschlagianum. T. G. album. Gmel. G. virginianum. L.

GEUM *urbànum. L.*

G. floribus erectis, aristis uncinatis nudis, foliis caulinis ternatis, radicalibus lyrato-pinnatis. Ait.

Geum urbanum. Ait. h. k. ed. 1. II. 218. Ej. ed. 2. III. 280. Willd. Sp. pl. II. 1113. Pers. Syn. II. 57. Curt. fl. Lond. II. no. 113. t. 36. Engl. bot. 1400. Gray brit. pl. II. 578.

Radix perennis, fibrosa, aromatica. Caules, saepe plures, pedales aut bipedales, erecti, subflexuosi, hirti, ramosi, herbacei. Folia radicalia admodum anomala, plerumque pinnata, petiolata, vagina petiolorum ciliata; pinna extima magna, trilobata aut tripartita, lateralibus paucis, parvis, inaequalibus, omnibus inciso-serratis, venosis, subhirsutis; caulina tripartita vel ternata. Stipulae ad basin petioli oppositae, magnae, foliolis similes. Pedunculi ex dichotomia caulis, solitarii, hirsuti, saepius bracteati. Calyx monophyllus, decemfidus, patens, laciniis alternis minimis, acutis, hirsutis, demum reflexis. Petala 5 flava, longitudine calycis, brevissime unguiculata, apice rotundata. Stamina plurima, calycis limbo adfixa, primum inflexa, demum erecta. Germina numerosa, in capitulum collecta, pilosa; stylus medio geniculatus; stigma simplex. Akenia numerosa, compressa, hispida, stylo persistente aristata, arista apice hamata.

Hab. per omnem Europam in pratis, pascuis et pomariis, nec non in Asia temperata. Planta officinalis, aromatica, radice caryophyllum quodammodo redolente.

GEUM ***canadènse. Murr.***

G. hirsutum; foliis omnibus interrupte pinnatis, impari ampliore, foliolis ovatis dentatis, stipulis incisis, calycis laciniis 5, alternis, linearibus, brevibus, floribus erectis, petalis suborbiculatis calyce longioribus, aristis nudis, uncinatis. Pursh.

Geum canadense. Murray in Comment. gött. V. p. 33. t. 4. B. Pers. Syn. II. 57. Poir. Enc. Suppl. I. 616. Mich. Fl. bor. am. I. 300.

Geum strictum. Willd. Sp. pl. II. 1113. Link. Enumer. h. berol. II. 65. Ait. h. k. ed. 2. III. 280. Pursh. Fl. Am. sept. ed. 2. I. 351.

Geum aleppicum. Jacq. Ic. rar. I. t. 93.

Planta aspera, hirta; caules plures sesquipedales et ultra, erecti, teretes, nervis petiolorum decurrentibus subangulosi. Ramificatio fere dichotoma, et ramuli tandem omnes floribus solitariis terminati. Folia radicalia pinnata, cum foliolo terminali maximo, rotundato, lobato; foliolis lateralibus ovatis, maxime inaequalibus, omnibus sessilibus et inaequaliter dentatis. In foliis caulinis foliola terminalia saepe trifido-palmàta, in superioribus elongata, inciso-dentata, sat irregularia, lateralibus pariter summe inaequalibus. Folia caulina suprema sunt simplicia, elongata, inciso-dentata, vel subtriloba, sessilia. Stipulae variae, sessiles, inciso-dentatae. Flores longe pedunculati. Petala subrotunda, apice emarginata, calyce majora lutea. Fructus Gei urbani, sed duplo major. Akenia plurima, brunnea, hirsuta: aristae nudae, apice hamatae. T.

Hab. in pratis humidis, et in turfosis Canadae et Novi Eboraci (New-York); floret (in America) Majo, Junio; (apud nos vero) Julio et Augusto. ♃. Geo urbano persimilis planta, sed amplior. A Geo heterophyllo hortorum, teste cl. Linkio l. c. specie non differt. T.

GEUM *japònicum. Thunb.*

G. floribus erectis, fructibus hirsutis, aristis nudis, foliis subtrilobis. Thunb.

Geum japonicum. Thunb. jap. 220. Willd. Sp. pl. II. 1114. Pers. Syn. II. 57. Poir. Encycl. Suppl. I. 616.

Caulis teres, flexuosus, erectus, hirsutus, pedalis et ultra, apice parum et rarius ramosus. Rami alterni brevissimi subtomentosi. Folia alterna petiolata subrotunda, triloba vel subquinqueloba, dentata, villosa, mollia, pollicaria. Petiolus tomentosus, folio paullo brevior. Stipulae binae foliaceae, ovatae, inciso-dentatae, petiolo breviores. Flores terminales, in caule et ramis solitarii. Calyx decemfidus, laciniis alternis minoribus. Petala longitudine calycis. Semina ovata pilis griseis hirta, aristata. Aristae subulatae, uncinatae, reflexae, glabrae. Thunb. l. c.

Hab. in Japonia. ♃.

GEUM *macrophyllum. Willd.*

G. floribus erectis, aristis uncinatis nudis, apice pilosis, foliolis radicalibus lyrato-pinnatis, pinna terminali cordata, caulinis superioribus subrotundo-subtrilobis, obtusis. Willd.

Geum macrophyllum. Willd. En. I. 557. Link. En. II. 65.

Tota planta hirta. Folia radicalia maxima saepius pedalia, interrupte lyrato-pinnata, foliolis lateralibus obovatis inaequaliter dentatis, terminali amplissimo quatuor pollices longo et lato, obtusissimo, profunde cordato, inaequaliter dentato. Folia caulina infima pinnata, pinnis lateralibus minimis, superiora simplicia subrotunda, latiora quam longa, obtusissima, brevissima, subtriloba, inaequaliter dentata basi cuneata. Willd. Simile G. stricto (G. canadensi Murr.) at non heterophyllum. Aristae triglochines. Link.

Hab. in Camtschatka. ♃. Plurimum differt a G. canadensi. Caules foliosi; foliola modo crenata, modo inaequaliter, modo duplicato-dentata. Flores cymosi, parvi, lutei, breviter pedunculati. Petala subrotunda obiter emarginata. Aristae sub microscopio leviter hirsutae, uniglochines. T.

GEUM *Portenschlagiànum. T.*

G. caule tereti, pubescente, ramis strictis, dichotomis; foliis radicalibus pinnatis, caulinis intermediis dilatato-trilobis, summis lanceolatis grosse dentatis, pubescentibus, pedunculis elongatis erectis, petalis calyci subaequalibus; germinibus hispidis, aristis glabris apice glochidiatis. T.

Caulis, videtur 2—3pedalis, erectus, strictus, rubescens, pubescens, dichotomus. Folia radicalia longissime petiolata, bijuga, foliolis inferioribus subrotundis, parvis grosse dentatis, superioribus basi cuneatis, antice inciso-crenatis inaequilateralibus, sesquipollícaribus, sessilibus, terminali majori, basi in petiolum decurrente, superne trilobum, inciso-crenatum; caulina infima sessilia, stipulis adnata, ceterum radicalibus fere aequalia, media dilatata, vel ovata, stipulis suffulta, triloba, grosse dentata, suprema lanceolata et tandem linearia. Pedunculi, praesertim fructus, elongati, stricti. Flores G. urbano minores: calyx suberectus, rubescens, 10-fidus, laciniis lanceolatis, alternis, minimis. Petala spatulata, obcordata, vix calycem excedentia, alba. Fructus G. urbani. Germina hirsutissima. Aristae reflexae, atrosanguineae, glaberrimae, apice hamatae. T.

Vidi in herbario defuncti amici Francisci de Portenschlag sub nomine Gei pyrenaici. Affine G. albo. T.

GEUM *album. Gmel.*

G. pubescens; foliis radicalibus pinnatis, caulinis ternatis, summis simplicibus trifidis, stipulis inferioribus incisis, floribus erectis, petalis longitudine calycis, aristis uncinatis nudis, apice pilosis. Pursh.

Geum album. Willd. Enumer. I. 556. Link Enumer. hort. berol. II. 65. Gmel. Syst. Nat. II. 861. Pursh Flora Amer. sept. ed. 2. I. 351. Dietrich Lex. Nachtr. III. 479.

Geum virginianum. Pers. Syn. II. 56. Willd. Spec. pl. II. 1113. Ait. h. k. ed. 2. III. 280. +.

Geum canadense. Jacq. hort. vind. II. p. 82. t. 93.

Geum carolinianum. Walt. Fl. carol. 150.

Caryophyllata alba. Moench. Method. p. 660.

A G. virginiano diversissimum petalis longitudine calycis, foliis radicalibus pinnatis, et caulinis summis tantum simplicibus, plerumque trifidis, quum in G. virginiano petala calyce multo breviora, folia caulina, exceptis infimis, simplicia lanceolata, stipulaeque majores sint. Willdenow. in Enum. l. c.

Hab. ad ripas fluminum a Pensylvania ad usque Carolinam. ♃.

In descriptionibus Gei virginiani omnibus commiscentur characteres G. virg. veri, et G. albi. Sic e. gr. apud Willdenowium in Spec. plant. l. c. petala dicuntur calyce breviora, folia radicalia subbipinnata; sed et flores nutantes: inde dubium oriri debet de certitudine Synonimi. T.

GEUM *virginianum. L.*

G. pubescens; foliis radicalibus caulinisque infimis ternatis, superioribus lanceolatis, stipulis ovatis subintegris, floribus erectis, petalis calyce brevioribus, aristis uncinatis nudis apice pilosis, tortuosis. Pursh.

Geum virginianum. L. Sp. pl. 716. Murr. in Comment. götting. V. 32. t. 3. Poiret Enc. Suppl. I. 616. +. Pursh. Fl. Amer. sept. ed. 2. I. 351. Mich. Fl. bor. amer. I. 301. Link Enum. h. ber. II. 65.

Caryophyllata virginiana. Herm. par. 111. t. 111. La Mark Encycl. I. 399. +.

Modice pubens: folia caulina pleraque trifoliata et petiolata: stipulae parvulae, ovali-(ovato-) lanceolatae, subintegrae. Flores pusilli, petalis albis. Michaux.

A Geo albo, cui simillimum, distinguendum foliis radicalibus ternatis, nec pinnatis, et petalis calyce minoribus, floribusque ipsis minoribus, et tandem aristis tortuosis. Flores nutantes, germina globosa.

Hab. in America septentrionali a Canada usque Carolinam. Ante Willdenowium plures auctores G. virginianum et album in unicam speciem conjunxerunt, adeo ut saepe rectum G. virginianum definirent et G. album describerent. V. G. album. ♃. T.

SERIES II.

GMELINIANA.

Flores subnutantes aurantiaci vel rubentes; petala vix patentia, calyce non majora; aristae pilosae medio tortae, non hamatae. Folia lyrata.

Species: G. rivale. L. G. intermedium Willd. G. nutans. Poir. G. pyrenaicum. Willd. G. hederaefolium. Gmel.

GEUM *rivale.* *L.*

G. floribus nutantibus; petalis longitudine calycis; aristis plumosis, medio tortis. Willd.

Geum rivale. Willd. Sp. pl. II. 1115. Pers. Syn. II. 57. Ait. h. k. ed. 2. III. 280. Poir. Enc. Suppl. I. 616. Willd. En. I. 557. Fl. dan. t. 722. Sturm Deutschl. Fl. 1. Abth. T. II. Schult. Österr. Fl. ed. 2. II. 93. Pursh Fl. Am. sept. I. 351. M. B. taur. cauc. I. 411. et III. 360.

Geum nutans. Crantz. austr. p. 70.

Caryophyllata aquatica. De la Mark Enc. I. 399.

Caryophyllata rivalis. Scop. carn. no. 629.

Caules ex una radice 1—3, erecti, pilosi, 1—2 pedales et ultra, simplices, apice ramosi. Folia radicala admodum varia, modo simplicia, modo pinnata, foliolis lateralibus modo magnis, terminali conformibus, modo minimis, integerrimis, vel inciso-dentatis, terminali modo integro, modo trifido, vel tripartito, lobis obtusis, crenatis vel acuminatis, argute inciso-dentatis, pleraque interrupte pinnata, pubescentia, vel hirta, petiolo 3—15 pollicari hirsuto suffulta; caulina plerumque sessilia, stipulata, tripartita, acuminata, sparsa, ceterum radicalibus conformia. Flores ex dichotomia caulis supremi 2—6, pedunculati, nutantes. Calyx sordide ruber, hirtus, campanulatus, laciniis alternis minimis. Petala sordide ex albo rubicantia, recta, spatulata, emarginata. Aristae subtus glabrae, medio spiraliter contortae, dein plumosae; germina hirsuta. T.

Hab. per omnem Europam, sed et in Asia et America septentrionali in subalpinis ad rivulos, nonnunquam etiam in pratis humidis regionum elevatorum et frigidiorum. ♃. Planta ad anomaliam maxime prona. T.

GEUM *rivale luxurians. T.*

Distinguitur floribus erectis, patulis, semiplenis; calyce corollam saepe multum excedente, ejusdem laciniis, petalisque numero indefinitis. T.

Planta jam Conr. Gessnero et Clusio cognita, et a b. Wulfenio in Jacquinii Miscellaneis T. II. p. 33. et seq. descripta et in ill. b. Jacquinii Icon. pl. rar. T. I. tab. 94. depicta, a pluribus olim nomine G. hybridi pro specie divulgata, revera ne quidem varietas, sed mera monstrositas dici meretur. Ipse olim spontaneam in nemorosis humidis subalpinis montis Schneeberg in Austria inveneram, quae deinde in hortulum translata simul flores G. rivalis normales tulerat aliosque luxuriantes magnitudine partiumque numero, imo unum e centro prolificantem, cujus flos secundarius penitus G. rivalis normalis erat. Planta haec elegans et paradoxa semper curiositatem observatorum exstimulat, et in hortis coli meretur. Interim minime est planta hybrida, sed mera monstrositas semiplena, in solo pingui et humido sub umbra montium arborumque e seminibus G. rivalis nata, quod experimento narrato demonstratur. Imo et alia specimina G. rivalis vulgaria in hortulum proprium translata et pari cautela culta produxerunt flores G. luxuriantis seu sic dicti G. hybridi. T.

GEUM *intermèdium. Willd.*

G. floribus nutantibus, petalis longitudine calycis, aristis uncinatis nudis, seminibus pilosis, foliis radicalibus lyrato-pinnatis, caulinis ternàtis. Willd.

Geum intermedium. Willd. Enum. h. ber. I. 557. Ej. hort. berol. no. 69. c. ic. Link En. h. ber. II. 66. Dietr. Lex. Nachtr. III. 480.

Caulis pedalis vel sesquipedalis, teres, fuscus, erectus simplex, pilis parvis, sparsis obsitus. Folia radicalia semipedalia et majora, interruptè pinnata, plerumque e foliolis 5 majoribus et duobus minoribus composita. Foliola infima ovata dentata, superiora subincisa dentata, terminale subtrilobum dentatum, minima ovata subdentata; caulina ternata breve petiolata; lateralia inciso-dentata, terminale subtrifidum dentatum. Stipulae sessiles subrotundo-ovatae, magnae, subinciso-dentatae. Flores in apice caulis divisi nutantes. Calyx monophyllus purpureus 10-partitus, laciniis 5 ovato-lanceolatis, acuminatis majoribus, 5 quadruplo minoribus angustissimis lanceolatis. Corolla pentapetala flava post florescentiam aurantia, petalis subrotundo-obovatis durante anthesi longitudine calycis, postea longioribus. Stamina numerosa subulata; antherae ellipticae. Germina numerosa oblonga; styli subulati glabri; stigmata uncinata. Semina oblonga, compressa, pilosa, stylo persistente uncinato glabro aristata. Willd. Aristae nudae. Link. ♃.

Patria ignota. An forte progenies G. hederaefolii? An hybrida de G. urbano atque rivali? Ab hoc differt floribus flavis et aristis glabris uncinatis. Monente Willdenowio distinguendum a G. intermedio Ehrharti, quod quidem plurimi pro varietate G. urbani declarant; Smith vero et Gray ut varietatem G. rivalis considerant et a planta praesenti non discernere videntur et Schultes in Fl. austr. pro specie praesenti exhibet. T.

GEUM *nùtans. Poir.*

G. floribus nutantibus, petalis emarginatis, calyce majoribus, aristis versus apicem nudis. De La Mark.

Geum nutans. Poiret Encycl. Suppl. I. 617. Desfont. Jard. ed. 2. p. 204.

Caryophyllata nutans. De la M. Enc. I. 399.

Caryophyllata montana, flore luteo nutante. Tournef. 295.

Admodum affinis G. rivali, et forte mera ejusdem varietas. Interea planta major, elegantior et characteribus expressis constans. Hi consistunt et ab illo differunt petalis obcordatis calyce semper majoribus, et in aristis versus apicem nudis, nunquam plumosis. A longissimo jam tempore colitur in horto regio parisiensi. In usum ornamentarium hortulanis commendari meretur ob elegantiam florum luteorum, et densitatem cespitum. De la Mark.

An forte eadem est species ac Willdenowii G. intermedium; progenies G. rivalis semel in hortis enata, nec amplius regenerans? Saltem verosimile est, Willdenowium accepisse plantam suam e Gallia! An G. intermedium Fischeri (v. Ej. Rev. du gen. Geum no. 4.), quod ita difinit: „Foliis lyrato-pinnatis, inciso-serratis, breviter acuminatis, foliolis cuneiformibus, oblongo-subrotundis, caulinis subternatis, stipulis oblongo-subrotundis, laciniato-incisis, floribus suberectis“ hujus loci est? T.

GEUM *pyrenàicum. Willd.*

G. floribus nutantibus, petalis calyce longioribus, aristis pilosis basi tortis. Willd.

Geum pyrenaicum. Willd. Sp. pl. 1115. Pers. Syn. II. 57. Poir. Enc. Suppl. I. 617. Willd. Enum. I. 557. Link. En. II. 66. Ramond, Bull. phil. no. 42. p. 140. t. 10. f. 3.

Geum Tournefortii. Picot de Lapeyr. Fl. des Pyr. p. 292.

Caulis erectus, sesquipedalis, villosus. Folia radicalia pinnata, utrinque pilis tecta; pinna terminalis 3—4 uncialis, subrotunda, cordata, amplissima, subtriloba. Folia caulina cuneiformia, inciso-dentata, acuminata. Stipulae oblongae, profunde dentatae. Petala subrotunda, calyce majora. Semina villoso-lanata. Arista supra basin torta, pilis raris tecta, apice nuda. Affine G. rivali, sed magnitudine foliorum radicalium, et aristae fabrica diversum. An varietas? Willd. Simile G. montano, at multiflorum. Link. Flores lutei magni. Picot Lapeyr. Planta G. montano similis ab hoc differt aristis recurvatis: flores 1—3 pedunculati, nutantes. Poiret.

Hab. in centro Pyrenaeorum, praesertim apud Bagnols, Cougous, Pic d'Eyré, Pen du Brada etc. Admodum affine puto G. nutanti. (?) T.

GEUM *hederaefòlium. Gmel.*

G. foliis simplicibus subtrilobis, piloso-tomentosis, caule erecto; corollis luteis, seminibus albide papposis? Gmel.

Geum hederaefolium. Gmel. fl. bad. als. II. 460.

Caryophyllata foliis hederae terrestris. Bauh. pin. 322. Mapp. fl. alsat. p. 58.

Caryophyllata quarta. Tabernaem. p. 327. sine ic.

Radix similis G. urbano, minus fibrosa, odore multo remissiore. Caulis cubitalis, erectus, teres, gracilis, piloso-tomentosus. Folia petiolata, Hederae terrestri (Glecomati hederaceo) similia, parva, piloso-tomentosa. Petioli hirsuti. Flores tres in uno caule, raro plures, pulchri, lutei. Pappus seminum floccosus, albus. Sic ex Tabernaemontano. Plantam a solo Tabernaemontano l. c. descriptam non vidi. Forsan G. hybridum Jacq.? Hab. in Alsatia in sylva Sti. Petri inter St. Remig et Lauterburg copiose, teste Tabernaemontano. Gmelin. l. c.

Videtur esse species suo loco deleta, nec nostrum G. rivale β. hybridum, quod quidem etiam Breynius (in Cent. I. p. 131. t. 60) sub nomine Caryophyllatae montanae flore pleno prolifero, foliis Hederae terrestris descripsit ac delineavit. Sed hoc a G. rivali luxuriante non differt nisi magnitudine paullo diminuta, et floribus coccineis. T.

SERIES III.

DESFONTAINIANA.

Villosa, pauciflora, grandiflora, speciosa; foliis lyratis; aristae plumosae, nec hamatae.

Species: G. montanum. L. G. atlanticum. Desf. G. Peckii. Pursh. G. triflorum. Pursh. G. rotundifolium. Langsd. G. coccineum. Smith.

GEUM *montànum. L.*

G. caule unifloro, aristis rectis villosis, foliis pinnatis pilosis, foliolo extimo maximo subrotundo, inferioribus sensim minoribus. Ait.

Geum montanum. Linn. Sp. pl. 717. Ait. h. k. II. 218. ejusd. ed. 2. III. 281. Willd. Sp. pl. II. 1116. Pers. Syn. II. 57. Jacq. fl. austr. IV. p. 38. t. 373. Sturm Deutschl. Fl. Sect. I. tom. 4.

Caryophyllata montana. De la Mark Encycl. I. 400. Scop. Carn. no. 630.

Radix perennis, aromatica. Folia radicalia cespitosa, pinnata, sat magna, hirsuta, foliolis lateralibus basin versus sensim decrescentibus, terminali maximo, subrotundo, subinciso, omnibus crenato-dentatis. Caulis centralis, simplicissimus, oligophyllus pollicaris usque bipedalis, rectus, obiter hirtus. Folia caulina parva, distantia, sessilia, trifida, vel inciso-pinnatifida, hirta. Flos terminalis, solitarius, plerumque magnitudine Calthae palustris. Petala laete lutea, calyce duplo majora, obcordata, apice emarginata. Aristae longae, plumosae, rectae, flexuosae.

Hab. in alpibus austriacis, helveticis, gallicis et italicis. Variat mirifice magnitudine totius plantae, quam nonnunquam fere acaulem invenies, et praecipue florum, qui nonnunquam Ranunculum acrem vix superant, et alia vice Anemonem sylvestrem excedunt.

GEUM *atlànticum. Desf.*

G. villosum, foliis inferioribus pinnatis, pinnula terminali cordata maxima, caule subunifloro, fructibus hirsutis, aristis contortis. Desfontaines.

Geum atlanticum. Desf. Fl. atl. I. 402. Willd. Sp. pl. II. 1116. Pers. Syn. II. 57. Poir. Enc. Suppl. I. 617. et V. 574. Link En. h. ber. ed. 2. II. 66.

Ceum sylvaticum. Pourr. act. acad. Toul. De Cand. Fl. franç. VI. 544.

Planta tota villosa. Caulis pedalis seu sesquipedalis et ultra, simplex, uniflorus. Folia radicalia petiolata, pinnata, pinnulis 3—5, quandoque 7, remotis subrotundis, aut ovatis, crenato-dentatis, terminali cordata, obtusa maxima; caulina inferiora obovata, superiora inaequaliter lobata, aut laciniata, laciniis acutis. Stipulae magnae, ovatae, incisae. Flos Gei montani. Petala lutea. Semina villosa. Arista contorta, nunc glabra, nunc subvillosa. Affine Geo montano; differt foliolis paucioribus, remotioribus, caule altiore, aristis contortis, nec barbatis. Desf. Corollae minores ac in G. montano. Link.

Hab. in monte Atlante prope Tlemsen, nec non in Lusitania. ♃. Cel. Prof. De Candolle monet, G. montanum Gouani h. m. esse G. atlanticum adeoque praesentis speciei Synonimon. Idem refert, G. biflorum Brot. sec. Link. esse Gei praesentis Synonimon.

GEUM *Pèckii. Pursh.*

G. glabriusculum; caule unifloro; foliis radicalibus reniformibus, circinnatis, basi subtruncatis, inciso-dentatis; petiolis longissimis, interdum appendiculatis, petalis longitudine calycis. Pursh.

Geum Peckii. Pursh Fl. Amer. sept. ed. 2. I. 352.

Hab. in collibus albis in New Hampshire in America septentrionali. ♃. Specimen siccum conservatur in herbario Banksiano.

GEUM *triflòrum. Pursh.*

G. pilosum; caule simplici subtrifloro, foliis radicalibus interrupte pinnatis, foliolis cuneatis, inciso-dentatis, petalis oblongis, longitudine calycis; aristis longissimis, villosis. Pursh.

Geum triflorum. Pursh fl. Am. sept. ed. 2. II. 736. Poir. Enc. Suppl. V. 574.

Hab. in Luisiana superiore. ♃. detectum a Bradbury. Aristae (nec habitus!) similes illis Clematidis. Affine G. montano. T.

130. S. III. 17.

GEUM *rotundifolium. Langsdorf.*

G. foliis subpinnatis pilosis, foliolis, extimo amplissimo cordato, subrotundo, subseptemlobo, dentato, reliquis 2 ad 3 minutissimis distantibus vel nullis, caule trifloro. Fischer.

Geum rotundifolium. Fisch. Rev. gen. Geum. Dietrich Nachtrag z. Lexic. d. Gärtn. u. Bot. III. 483.

Hab. in insula Unalaschka; detecta a cel. Langsdorf. Videtur affine G. montano. T.

131. S. III. 17.

GEUM *coccineum. Smith.*

G. floribus erectis, foliis caulinis trilobis; radicalibus lyratis: foliolo terminali maximo, cordato-reniformi. Sm.

Geum coccineum. Smith in Sibth. Prodromo Fl. graec. I. 354. Icon in Ej. Fl. graec. t. 485. Poir. Enc. Suppl. V. 574.

Caryophyllata orientalis, flore magno coccineo. Tourn. Cor. 20.

Hab. in monte Olympo Bithyno. ♃.

SERIES IV.

COMMERSONIANA.

Scapigera, umbellata.

Species: G. involucratum. Pers. G. magellanicum. Pers.

GEUM *involucràtum. Pers.*

G. foliis pinnatis; extimo rotundato crenato, floribus involucratis. Persoon.

Geum involucratum. Pers. Syn. II. 57. Poir. Enc. Suppl. I. 618. Dietr. Lex. Nachtr. III. 481.

Folia omnia radicalia pinnata; foliolum terminale rotundatum, crenulatum. Scapus centralis, basi nudus. Flores terminales 5, pedunculati, in capitulum congesti, basi bracteis involucrati. Corollae albae, calyce minores.

Hab. ad fretum magellanicum; detecta a Commersonio.

GEUM *magellànicum. Pers.*

G. foliis pinnatis; extimo foliolo maximo, lobato, inferioribus minimis; scapo elongato. Persoon.

Geum magellanicum. Pers. Syn. II. 57.

Hab. ad fretum magellanicum. Detexit Commerson. Conservatur in herbario Jüssieviano. Foliola lateralia multo minora, minimaque interjecta. Affine G. involucrato, nec G. macrophyllo, quod cum illo a nonnullis permiscetur: Geum macrophyllum non habet scapum, sed caulem vere foliosum. T.

SERIES V.

GAERTNERIANA.

Pauciflora; foliis pinnatis, nec lyratis.

Species: G. reptans. L. G. anemonoides. Willd. G. potentilloides. Ait. G. hispidum. Fries. G. glaciale. Adams.

GEUM *anemonoides. Willd.*

G. caule unifloro, aristis rectis villosis, foliis pinnatis glabris, foliolis cuneiformibus apice dentatis. W.

Geum anemonoides. Willd. Sp. pl. 1117. Pers. Syn. II. 57. Pursh. Fl. Am. sept. ed. 2. I. 352.

Dryas anemonoides. Pall. it. III. app. no. 92. not. 2. t. Ee. f. 4.

Dryas pentapetala. Linn. Amoen. acad. ed. 3. II. 353. Ej. Sp. pl. 717. Gmel. Sib. III. p. 187. n. 43.

Caryophyllata kamtschatica. Lamark Encycl. I. 400. Egede descr. of Groenl. p. 42. t. 2.

Radix perennis stolonibus decumbentibus, apice frondescentibus, filiformibus, lignosis. Folia radicalia pinnata glabra, foliolis septem, sive novem, oblongis, linearibus, fere cuneiformibus, superne obtuse serratis, inferioribus minoribus. Stipulae filiformes, angustissimae. Scapus filiformis, foliis duplo sive triplo longior, nudus (in icone Pallasiana foliosus T.) instructus interdum folio unico, ternato, sessili, minore. Flos unicus scapum terminans. Calycis perianthium monophyllum, ultra medium 10-fidum, segmentis patentibus, acutis, alternis paullo minoribus. Corollae petala 5, calyce duplo majora, subrotunda, obtusa, patentia, alba. Filamenta numerosa, capillaria, calyce breviora, eique inserta. Antherae subrotundae. Germina plurima, caudata filo hirsuto flore longiore. Habitus Potentillae. Flos Fragariae; fructus Dryadis. Statura plantae et fructus omnino Dryadis, a quo genere differt solo numero floris partium quinario; cum Geis tamen sociare vetat floris figura et seminum cauda apice inermis. Linn.

Hab. in Sibiria, Kamtschatka et in Groenlandia. Forte genus proprium? Nescio ubi b. Willdenowius hoc jam sub nomine Sieversiae distinxerit? — Sed hoc genere accepto forte tota praesens series in illud transferri deberet. T.

GEUM *rèptans. Linn.*

G. caulibus unifloris; aristis rectis villosis; foliis (radicalibus) subaequalibus pinnatis, incisis, pilosis; flagellis repantibus. Aiton.

Geum reptans. Ait. h. k. ed. 1. II. 219. Ej. ed. 2. III. 281. Willd. Sp. pl. II. 1117. Pers. Syn. II. 57. Poir. Enc. Suppl. I. 617. Jacq. fl. Austr. V. app. t. 22. Schult. Österr. Fl. ed. 2. II. 94. Sturm. Deutschl. Fl. t. IV.

Caryophyllata reptans. De la Mark Encycl. I. 400.

Species corolla, aristis, et toto habitu adeo distincta, ut forte proprium genus constituere mereretur, cui fortasse G. potentilloides subjungendum foret. Radix longa, crassa, fusco-nigra. Flagella reptantia pedalia et sesquipedalia, rubra, foliis distantibus parvis digitato-pinnatifidis, basi stipulatis munita. Folia radicalia breve petiolata 3—4 pollicaria, obovata, obtusa, interrupte pinnata, imbricata, foliolis subrotundis, vel obovatis, inciso-dentatis, terminali conformi, rarius trifido. Caules 1—8, cespitosi, centrales 2—6 pollicares, foliis pollicaribus, obovatis, pinnatifidis vel digitato-dentatis muniti. Tota planta villosa. Flos unicus, terminalis, magnus, expansus. Calyx 12—20-fidus, viridi-rubescens, laciniis majoribus (totidem quot petalis) simplicibus, lanceolatis, acuminatis, minoribus tripartitis. Petala obovata, apice rotundata, rarius emarginata, 6—10, vix calyce majora, saturate lutea. Aristae longissimae, flexuosae, plumosae. T.

Hab. in summis alpium jugis totius Europae. ♃. In herbario Porteuschlagiano vidi specimen foliolis distantibus, non imbricatis et bracteis aggregatis diversum. T.

GEUM *hispidum. Fries.*

G. hirsutum, floribus erectis, petalis calycem superantibus, rostris supra medium geniculatis ibique hispidis, ceterum glabris, stigmate clavato, foliis radicalibus subaequaliter pinnatis, caulinis pinnatifidis. Reichenbach.

Geum hispidum. Fries. Fl. hallandica. p. 90. Reichenbach Icon. rar. Cent. I. p. 5. t. 3.

Habitu multum jam differt a G. macrophyllo; rostrorum praeprimis indole; a G. hirto Wahlbergii in Fl. gothoburgensi p. 60 descripto. Specimen ad Kamp in Hallandia (provincia Sveciae australis ad Cattegat sitae), ubi rarius provenit, legit et m.,b. c. cl. Fries. Reichenb.

Hab. in Svecia. Intime affine Geo potentilloidi, a quo sollummodo pedunculis elongatis et foliis radicalibus differt non interrupte pinnatis. Ad iconem cell. Reichenbach planta sesquipedalis, tota pubescens, pubescentia patenti. Folia radicalia 3—4 pollicaria vix interrupte pinnata 3—5juga, foliolis apice increscentibus, lateralibus oppositis, ovatis, dentatis, terminali extimo pari vix majore, saepius uno alterove latere inciso, ceterum conformi. Folia caulina alterna, inferiora bipollicaria, pinnatifida vel pinnata, radicalibus similia; superiora oblonga, pinnatifido-incisa; floralia linearia, basi dentata. Stipulae foliolis conformes petiolo semi-adnatae. Flores 2 terminales longissime pedunculati. Calyx floris patens, fructus reflexus. Petala sepalis majora, brevissime unguiculata, venosa, apice rotundata, vix emarginata. Germina pubescentia, styli supra medium contorti, glabri, supra contorsionem pubescentes, stigmate clavato glabro punctato. Akenia aristata, aristis apice refractis. T.

GEUM *potentillòides. Ait.*

G. caulibus adscendentibus, cespitosis, oligophyllis, paucifloris; foliis radicalibus interrupte pinnatis, nec lyratis, caulinis pinnatifidis, distantibus, summis linearibus, basi appendiculatis, petalis calyce duplo majoribus, rotundatis. T.

Geum potentilloides. Ait. h. k. ed. 1. II. 219. Ej. ed. 2. III. 281. Willd. Sp. pl. II. 1116. Pers. Syn. II. 57. Willd. Enum. I. 558. Link. En. II. 66.

Geum Laxmanni. Gaertn. d. fruct. et sem. I. p. 352. t. 74.

Caryophyllata potentilloides. De la Mark. Encycl. I. 400.

Dryas geoides. Murr. Syst. ed. 14. p. 481. Pall. it. III. app. n. 92. t. Y. f. 1. Jacq. hort. vind. III. p. 38. t. 68. Falk. russ. t. 11.

Similitudo aliqua cum Potentilla geoide, praesertim in floribus. Radix perennis. Folia radicalia petiolata, pinnata, nec lyrata, pinnulis apicem versus increscentibus, ovatis, obovatis et spatulatis, inciso-crenatis, terminali maxima, plerumque trifida, interjectis minimis, subintegerrimis. Caulis modo unicus, modo cespitosi, simplices, adscendentes, 3—15 pollices longi, simplices, foliolis distantibus 2—3, pollicaribus pinnatifidis, floralibus linearibus, basi appendiculatis. Flores 1—3, magnitudine Ranunculi acris, pedunculati. Petala basi unguiculata, apice rotundata, calyce duplo majora, lutea. Fructibus maturantibus calyx in formam campanulatam erectus. Aristae glabrae partim apice hamatae, partim rectae. Tota planta pubescens. T.

Hab. in Sibiriae rupestribus a montibus altaicis usque ultra Jeniseam. A Geo reptante differt defectu stolonum floribusque 5-plo minoribus: a Potentilla Geoide vero (Geo potentilloide Pall. ind. taur.) praeter characterem genericum differt caulibus simplicibus, et foliis interrupte pinnatis. T.

Species minus cognitae.

G. geniculatum. Mich. G. agrimonoides. Pursh. G. ciliatum. Pursh. G. radiatum. Mich.

GEUM *glaciàle. Adams.*

G. foliis profunde pinnatifidis, lanato-villosis, laciniis ovato-oblongis, summis imisque minimis, mediis majoribus subunidentatis, caule unifloro.

Geum glaciale. Adams in Mem. de la Soc. imp. de Nat. à Moscou. T. V. C. Spreng. Neue Entdeck. III. 225, Dietr. Lex. Nachtr. III. 480.

Hab. ad ostia Lenae in Sibiria orientali. Affine G. reptanti, a quo tamen defectu flagellorum reptantium differt. Laciniae apice callosae.

141. S. III. 18.

GEUM *agrimonòides. Pursh.*

G. hirsutissimum; foliis omnibus pinnatis, foliolis subaequalibus, inaequaliter inciso-dentatis, stipulis ovatis, subintegris, floribus erectis, calycis laciniis subaeqnalibus, petalis ovalibns longitudine calycis. Pursh.

Geum agrimonoides. Pursh Fl. Am. sept. ed. 2. I. 351. Poir. Enc. Suppl. V. 574.

Geum laciniatum. Murr. in comm. goett. V. p. 36. t. 2. +.

Hab. in rupibus ad littora Susquehannae in Pensylvania, nec non ad Missourim superiorem. Flores albi. An vere hujus generis?

GEUM *geniculàtum. Mich.*

G. subpaniculatim multiflorum: foliis caulinis subsessilibus, tripartitis: petalis cuneato-obcordatis: aristis prorsus pubentibus, medio geniculatis. Michaux.

Geum geniculatum. Mich. Fl. bor. amer. I. 300. Pursh. fl. Amer. sept. ed. 2. I. 351. Pers. Syn. II. 57. Poiret Encycl. Suppl. I. 617.

Caulis inferne simplex, superne paniculatus, ramis patentibus; folia alterna, caulina subsessilia, tripartita; stipulae fere integrae; flores numerosi (lutei?); petala basi cuneata, apice obcordata; akenia terminata aristis medio geniculatis, totis pubescentibus.

Hab. in Canada.

GEUM *ciliàtum. Pursh.*

G. pubescens; caule simplici, foliis glabriusculis, margine ciliatis, inferioribus pinnatis, caulinis pinnatifidis, superioribus palmatis: laciniis linearibus incisis, floribus corymbosis. Pursh.

Geum ciliatum. Pursh. Fl. Am. sept. I. 352. Poiret Encycl. Suppl. V. 574.

Hab. ad ripas Kooskoosky in America septentrionali. Floret Junio. Species elegans; flores similes illis Gei rivalis.

GEUM *radiàtum. Michaux.*

G. hirsutissimum; caule simplici; foliis radicalibus pinnatis, foliolo impari amplissimo, reniformi, radianti-nervoso; caulinis amplexicaulibus, inciso-laceris; aristis glabris, apice simplicibus. Mich.

Geum radiatum. Mich. fl. bor. am. I. 300. Pursh. fl. Am. sept. ed. 2. I. 352. Pers. Syn. II. 57. Poir. Enc. Suppl. I. 617.

Geum kamtschaticum. Pall. in herb. nunc Lambertiano.

Planta pulchella, caulibus simplicibus, erectis: folia radicalia pinnata, pinnulis paucioribus minimisque; caulina simplicia. Petala cuneato-obcordata, lutea basique fulva. Mich.

Hab. in altis montibus Carolinae. Mich. ad littora boreali-occidentalia Americae septentr. Menzies.

DRYAS *Linn.* *Geum* *Crantz.*

(Syst. sex. Icos. polyg. A. n. Rosaceae. G. p. Geum.)

Char: gen: Calyx suburceolatus, 8—10-partitus, patens, corolla brevior. Petala 8—10, patentia, calyci inserta. Stamina numerosa, calyci inserta. Pistilla plurima in capitulum conferta; styli lateri germinis inserti, persistentes. Akenia aristis plumosis caudata, semine adscendente. T.

Nomen a Graeco δρυς, Quercus, quod folia speciei vulgatae aliquam similitudinem referunt cum foliis quercus, etsi multoties minores sint. Dryas se habet ad Geum fere ut Tormentilla ad Potentillam. T.

DRYAS *octopètala. L.*

D. foliis cordatis ovatis, crenato-dentatis, subtus cano-tomentosis. T.

Dryas octopetala. Willd. Sp. pl. II. 1118. Pers. Syn. II. 57. Ait. h. k. ed. 2. III. 281. Willd. En. I. 558. Link En. II. 66. Guimpel deutsch. Holzart. I. p. 139. t. 105. Engl. Bot. 451. Oed. Fl. dan. I. t. 31. Sturm Deutschl. Fl. 1. Abth. T. I. Schult fl. austr. ed. 2. II. 81. M. B. fl. taur. cauc. I. 412. Pursh fl. Amer. sept. ed. 2. I. 350. Gmel. sibir. III. 188.

Geum chamaedrifolium. Crantz. austr. p. 70. no. 4.

Caulis fruticosus, prostratus, diffusus, ramosissimus. Folia brevi petiolata basi cordata, ovata, undique crenato-dentata, margine revoluta, semipollicaria, rugosa, coriacea, sempervirentia, supra glabra, subtus niveo-tomentosa; petioli villosi basi more Rosarum stipulis duabus semi adnatis suffulti. Pedunculi foliis longiores, solitarii, tomentosi. Calyx basi suburceolatus, 5—10, saepissime 8 partitus, laciniis linearibus, obtusiusculis, subaequalibus. Petala alba, totidem quot sepalae, calyce majora: Akenia pilosiuscula, aristis, ex stylis persistentibus, plumosis, flexuosis, more Pulsatillae, terminata.

Hab. in alpibus Europae, Asiae et Americae septentrionalis temperatae. T.

DRYAS *integrifòlia. Vahl.*

D. foliis cordatis ovatis, integris, subtus cano-tomentosis. T.

Dryas integrifolia. Vahl. in Fl. dan. VII. 1216. Pers. Syn. II. 57. Poiret Encycl. Suppl. 526.

Dryas tenella. Pursh. fl. Am. sept. ed. 2. I. 350. Poiret Enc. Suppl. V. 661.

Hab. in Groenlandia et Norvegia. Vidi specimina a Giseckio et Wahlenbergio lecta, cum icone florae danicae optime congruentia, magnitudine ceterum diversissima, sed praeter folia integra penitus nullam differentiam eruere possum. Ipsa vero haec folia non sunt integerrima, sed tantum integra: ad basim enim permulta uno alterove dente sat notabili distinguuntur. Dr. tenella minime alia species est, sed penitus eadem ac Dr. integrifolia.

Hab. in Groenlandia et Norvegia.

FRAGARIA *Linn. omniumque auctorum.*

(Syst. sex. Icos. polyg. A. n. Rosaceae. G. p. Duchesnea.)

Char: gen: Perianthium monophyllum, planum, decemfidum: laciniis alternis exterioribus angustioribus. Petala 5 subrotunda, patentia, calyci inserta. Stamina plurima calyci inserta. Gynophorum plerumque succulentum, abeuns in baccam spuriam. Germina plurima in capitulum collecta; styli laterales. Akenia subdrupacea gynophoro rotundato-ovato, pulposo, molli, magno, colorato, basi truncato, deciduo insidentia.

Veteris fragum, et in plurali fraga, orum audiebat; inde recentiores fecerunt Fragariam. Alexander de Théis derivat a fragrantia: sed posset etiam deduci a ῥάξ, ῥαγὸς, acinus. Genus Fragariae nimis affine est Potentillae, et Fr. sterili, et micrantha separatis, nil remaneret, nisi character mere artificialis gynophori carnosi. Interea habitus Fragariae penitus differt ab habitu Potentillae, et characteres singuli non nisi exceptionibus deficiunt, ceteris praesentibus. Sic Potentillae non nisi excipiendo proferunt flores albos, vel stolones, vel folia ternata, nunquam omnia simul. Sic Fragariae raro efflagelles sunt, et nonnisi ceteris omnibus respondentibus receptaculo sicco aberrant. Cel. Duchesne plurimas Fragariae varietates descripsit, de quibus admodum difficile est, decernere, ad quasnam species referri debeant: sic varietates speciebus intermiscendo nominum gravitate sonora curiosi a vera naturae cognitione seducuntur. T.

FRAGARIA *chilöènsis. Ehrh.*

F. pubescentia petiolorum et scaporum patentissima; foliolis rotundato-ovatis, grosse dentatis, rugosis, supra fere glabris, subtus cinerascentibus; pedunculis dichotomis, divaricatis; floribus anomalis; fructibus maximis. T.

Fragaria chilöensis. Ehrh. Beitr. VII. 26. Willd. Sp. pl. II. 1092. Pers. Syn. II. 53. Duchesne in Delam. Enc. bot. II. 537. Ait. h. k. ed. 2. III. 272. Du Hamel arb. fruit. I. p. 234. t. 3. Dill. Elthan. 145. t. 120. f. 146.

Species omnium maxima. Sed planta valde anomala. Flagellorum hirsuties antrorsum spectans; illa petiolorum et pedunculorum potius reversa. Folia radicalia alia procumbentia, breviter petiolata, alia flores superantia erecta. Foliola maxima rugosa, rubicantia, superne sparse pubescentia, subtus cinerascentia et aperte pubescentia, nonnunquam fere villosa, grosse dentata, dentibus rotundatis, saepe latioribus quam longis, nonnunquam bifidis, obtusa, ciliata, lateralia sessilia, inaequilatera, terminale petiolatum. Scapus 3—9 uncialis, apice dichotomus. Bracteae modo grosse dentatae, modo integerrimae, lanceolatae. Pedicelli dichotomi, saepius divaricatissimi, cymosi. Flores modo magnitudine Rosae caninae, modo illa Frag vescae. Calycis laciniae angustiores, saepe bifidae vel bipartitae, saepe omnes simul cum petalis numero auctae. Stamina nonnunquam sterilia, in minoribus floribus semper fertilia. Fructus maximi, nonnunquam magnitudine ovi gallinacei, sed quandoque F. vesca vix majores, aurantiaco-rubri, sapidissimi. T.

Hab. in r. chilensi prope urbem Conception, unde ann. 1712 in Europam apportata a D. Frezier. Flores secundum Duchesne dioici. Persoon.

FRAGARIA *chiloensis ananassa.*

Distinguitur magnitudine aucta, foliis admodum rigidis, propendentibus: floribus perfecte hermaphroditis, nec hermaphrodito-dioicis, saepissime hexapetalis; fructibus serotinis, in puncto optimae maturitatis fructum Bromeliae ananassae redolentibus. T.

Hortulanis et pomologis Quoimios de Harlem et Fraisier-ananas vocatur. Hujus subvarietas est Quoimios de Bath, calycibus maximis, foliolis non propendentibus, fortioribus, majoribus, fructibusque subcompressis, albo-roseis differt. Quoimios de Caroline (Fragaria caroliniensis. Duchesne.) autem Quoimios de Contorbéri (Fr. tincta, scil. receptaculo etiam intus purpureo), et Quoimios de Clagny s. Fraisier de Murmarais (Fr. hybrida Duch.) quae fructificando omnes antevenire dicitur, potius Fr. virginianam respicere videntur. T.

FRAGARIA *virginiàna. Ehrh.*

F. calyce fructus patente, pubescentia petiolorum erecta, pedunculorum adpressa, foliis supra glabriusculis. Willd.

Fragaria virginiana. Ehrh. Beitr. VII. 24. Willd. Sp. pl. II. 1091. Pers. Syn. II. 53. Ait. h. k. ed. 2. III. 272. Pursh. fl. Am. sept. ed. 2. I. 357. Dietr. Lex. IV. 195. Duchesne Enc. II. 539.

Planta similis F. grandiflorae. Stolones breves. Folia supra glabra, non rugosa, rigidiuscula, saturate viridia. Serratura foliolorum terminalis proximas subaequat. Flores non penitus patent; sepalae exteriores saepius bifidae; calyx fructus erectus non adpressus; stamina plurima; fructus magni, saturate coccinei, subtus albi, simul et prae aliis maturescentes, minus aromatici. Caro receptaculi nonnunquam ruber.

Hab. in Americae septentrionalis sylvis et campis. ♃. ♏.

FRAGARIA *canadènsis. Michaux.*

F. major: foliolis amplo-ovalibus; lateralibus manifeste petiolatis: pedicellis longis, recurvo-pendulis: receptaculis seminum globosis, favoso-scrobiculatis, villosis. Mich.

Fragaria canadensis. Mich. fl. bor. Amer. I. 299. Pursh fl. Amer. sept. ed. 2. I. 357.

Hab. in nemoribus humidis Canadae, in montibus alleganis, a sinu Hudsonis ad Floridam usque. Species manifeste distincta, etsi minus cognita. T.

FRAGARIA *grandiflòra. Ehrh.*

F. calyce fructus erecto; pubescentia pedunculorum et petiolorum erecta, foliis supra glabriusculis. Willd.

Fragaria grandiflora. Ehrh. Beitr. VII. p. 25. Willd. Sp. pl. II. 1092. Pers. Syn. II. 53. Ait. h. k. ed. 2. III. 272.

Fragaria vesca ε ananas. Ait. h. k. ed. 1. II. 212.

Fragaria ananassa. Duchesne in Delamark Encycl. bot. II. 538.

Flagella similia illis F. vescae. Petioli foliorum 6—8 pollices longi. Foliola brevissime petiolata, cuneato-ovata, inciso-dentata, dentibus maximis cuspidatis, terminali proximis breviore, supra glabris, saturate viridibus, subtus canescentibus, sparse pubescentibus, subcoriaceis. Scapi centrales, foliis subaequales, superne pubescentes, pedunculis elongatis, strictis, pedicellisque multifloris, cymosis, foliis floralibus breviter petiolatis ternatis vel simplicibus, plus minus basi cnueatis, ceterum conformibus; bracteae totidem quot pedunculi et pedicelli, ad divisiones semper ratione recta diminutae, lineari-lanceolatae, integrae. Flores admodum numerosi, sat magni, calycibus utrinque pubescentibus, corollis albis aequalibus. Fructus magni, parum rubentes, tardius maturescentes, sapidissimi.

Hab. in Surinamo; et colitur in hortis europaeis. ♃. ♏.

FRAGARIA *bonariènsis. Pers.*

F. foliis late-ovatis, basi obliquis, subtus cauleque villosis. Pers.

Fragaria bonariensis. Pers. Syn. pl. II. 53.

Hab. in Monte-Video, Buenos-Ayres. Calyx villosus. Corolla majuscula. Persoon in fidem herbarii Jussieuiani. Nullibi invenio hanc speciem allegatam, multominus descriptam. Sed forte ab ill. L. B. a Humboldt elucubrationibus desideratam illustrationem exspectare licet, quando nempe opus gravissimum, Nova Genera et species etc. ulterius et usque ad familiam Rosacearum continuatum fuerit. T.

FRAGARIA *elàtior. Ehrh.*

F. pubescentia petiolorum, scapi et pedunculorum patentissima, scapo exaltato, foliolis supra tenue pubescentibus, subtus villoso-sericeis, calyce fructus reflexo. T.

Fragaria elatior. Ehrh. Beitr. VII. 25. Willd. Sp. pl. II. 1091. Pers. Syn. II. 53. Ait. h. k. ed. 2. III. 271.

Cormus digitalis, lignosus, rufo-brunneus, apice squammis coronatus, e quibus veluti vaginis flagella, petioli et scapi egrediuntur. Petioli 3—8-pollicares erecti, longitudinaliter sulcati, villoso-pubescentes, pubescentia patentissima et fere reflexa. Foliola terna, omnia sessilia, sat magna, intermedio rhombeo-ovato, lateralibus inaequilateribus subrotundis, omnibus obtusis, grosse et argute dentatis, supra laete viridibus tenue pubescentibus, subtus villoso-sericeis, caesio-nitidis, ciliatis. Scapus primarius foliis altior, 4—10 pollicaris et ultra, ceterum petiolis aequalis. Folia floralia, ceteris minora, simplicia, ternata, vel quinata, plerumque sessilia, nonnunquam tamen etiam petiolata. Cyma composita bracteis lanceolatis, saepius dentatis ad basin cujusvis pedicelli. Scapi secundarii foliis breviores, floribus minoribus, saepe sterilibus. Flores magni, fere ut in F. grandiflora. Calycis laciniae 10, subaequales, corolla minores, villosae. Petala alba rotundata, brevissime unguiculata. Fructus magnitudine cerasi majoris, e viridi coccinei, fragrantissimi, calyce reflexo. T.

De patria dubitatur. Videtur species cultura nata. Vidi in herbario Portenschlagiano specimen foliis in modum Gei pinnatis, foliolis posterioribus minimis. T. M.

FRAGARIA *elatior. dioica.*

Distinguitur separatione sexuum alternatim fertilium in diversis individuis, seu dioecia impropria, fructibusque maximis Rubum idaeum redolentibus.

Gallis vulgo dicitur Caperon, vel Fraise-abricot, vel Fraise-framboise. Semper dioica est, et nunquam fert fructus, nisi planta mascula foemininae approximetur. In planta mascula adsunt pistilla sterilia, in foeminina (pistillis perfectis instructa) stamina mutila, seu mera rudimenta staminum. De origine disputatur. Miller derivat ex America; alii ex China; Robin et Parkinson ex Bohemia et Pannonia. Pro mea opinione F. elatior, adeoque etiam F. dioica ex cultura hortensi duxerunt originem. T.

FRAGARIA *vesca. L.*

F. flagellis reptantibus, calyce fructus reflexo, pubescentia petiolorum patentissima, pedunculorum adpressa. Pers.

Fragaria vesca. Willd. Sp. pl. II. 1090. Pers. Syn. II. 53. Ait. h. k. ed. 2. III. 271. Dietr. Lex. d. G. u. B. IV. 194. Willd. Enum. I. 551. Schult. österr. Fl. ed. 2. II. 82. Sturm. Deutschl. Fl. 1 Abth. II, Bd. M. B. fl. taur. cauc. I. 402. Engl. Bot. 1524. Pursh Fl. Amer. sept. ed. 2. I. 357.

Fragaria vulgaris. Ehrh. Beitr. VII. 21.

Radix plures annos durans, obliqua, nigro-fusca. Cormus villoso-squammosus, ex quo oriuntur a.) flagella reptantia, plantam reproducentia; b.) folia radicalia, longe petiolata, scapis, caulibusque breviora, cespitosa, ternata, petiolis villosissimis, villo patentissimo, foliolis subsessilibus, obovatis, supra viridibus pubescentibus, subtus canescenti-sericeis; c.) scapi caulesve 3—5-unciales, villositate petiolis aequales. Folia floralia, si adsunt, brevi-petiolata, saepius simplicia, paullo minora, caeterum radicalibus conformia. Bracteae parvae sessiles variae, lanceolatae, cuspidatae, vel tridentatae, solitariae, oppositae, vel aggregatae. Inflorescentia cymosa, 2—10 flora; pedunculi villosi, villo adpresso. Calyx suburceolatus, 10 fidus, laciniis alternis angustioribus et paullo brevioribus. Petala 5 alba, brevissime unguiculata, apice rotundata, integerrima. Gynophorum basi truncatum, ovato-globosum, carnosum, fragrans, sapidum. Akenia subdrupacea, coccinea gynophorum undique tegentia. T.

Hab. in Europae sylvis siccis sterilibus. ♃ et ♏.

Vidi varietates calyce 8-fido tetrapetalam, aliam petalis persistentibus, aliamque vix flagelliferam. T.

FRAGARIA *vesca semperflorens.*

Distinguitur statura, humiliore, pedunculis saepius radicalibus, seu scaporum majori quam caulium praesentia, et per totam aestatem continua inflorescentia fructificationeque. T.

Haec est Fragaria semperflorens. Duchesne in Delamark Encycl. II. 531. in alpibus frequentissima, et fertilissima. Non est species propria; nam in hortos translata penitus in Fr. vescam vulgarem transmutatur.

FRAGARIA *vesca bifera.*

Distinguitur fructibus uno latere subcompressis, abortivis, altero striato-tumidulis, calyce adpresso, Rubum idaeum redolentibus.

Gallis vocatur Fraisier de Bargemon. Caesalpinus spontaneam invenit in Gallia australi, in Galloprovincia (Provence) in alpibus bargemonensibus. Spontanea non nisi vere et autumno, culta vero per totam aestatem fructificat. Etiam Fraisier à ètoile (Fragaria stellata) appellatur, quia calycis laciniis adpressis pars inferior fructus, ceterum saturate purpurei, in figuram stellae pallida remanet. Fructus sat magni, sapidi, admodum succulenti. Admodum rara, sed cultoribus insigniter commendanda. Illa, quam Duchesne Majaufe de Champagne (Fragariam dubiam) apellat, nil nisi subvarietas praesentis varietatis est, sterilitate, statura minore et fructibus magis compressis distincta. T.

FRAGARIA *vesca muricata.*

Distinguitur floribus plerumque apetalis, receptaculis duris, ingratis, akeniis in modum Gei in cornua excrescentibus, sterilibus; planta magna, frutici vel suffrutici similis. T.

Circa annum 1620 Tradescantius hanc abnormem Fragariam circa Plimuthum invenit in Anglia, quae deinde per omnes fere hortos botanicos propagata fuerat; sed tandem penitus iterum evanuit, nec ullibi invenitur. Zanoni, Morison, Rajus et alii veteres describunt ut autoptae plantam vivam veluti fruticem, florem dicunt herbaceum, et fructum hispidum. Interea cel. Duchesne in Delam. Enc. II. 533. rem melius explicat, conspecto specimine sicco, quod a cl. Montio obtinuit. Tanto magis oportet memoriam formae naturalis conservare, cum nostro tempore non amplius habeatur. Willdenowius hanc varietatem refert ad Fr. elatiorem. T.

FRAGARIA *calycina. Delongch.*

F. foliis ternatis pilosiusculis, foliolis sessilibus cuneato-subrotundis, grosse dentatis, floribus corymbosis (cymosis?), pedunculis scapo longioribus, calycibus corollam subaequantibus. Delongch.

Fragaria calycina. Loiseleur des Longchamps. Fl. gall. I. 299.

Fragaria grandiflora. Thuill. Fl. par. II. 1. p. 254.

Fragaria vesca γ grandiflora. Lam. et Dec. Fl. franç. IV. 468.

Planta parva, humilis, foliolis subrotundis, potius crenatis quam serratis, supra fere glabris, subtus villoso-pubescentibus, ciliatis, breviter petiolatis; petiolis villosis, scapo, pedunculis calycibusque sericeis; floribus numerosis sat magnis, albis, cymosis.

Hab. in sylvis circa Lutetiam: fl. Majo.

FRAGARIA *collìna. Ehrh.*

F. calyce fructus erecto, pubescentia pedunculorum erecta, petiolorum patentissima, foliis utrinque pubescentibus. Willd.

Fragaria collina. Ehrh. Beitr. VII. p. 26. Willd. Sp. pl. II. 1093. Pers. Synops. II. 53. Ait. h. k. ed. 2. III. 272. Schult. Österr. Fl. ed. 2. II. 82. Wahlenb. fl. upsal. 174.

Fragaria pratensis. L. Amoen. acad. VIII. 174.

Planta Fr. elatiori persimilis, sed minor. Serraturae foliolorum argutae; extima proximis brevior. Calycis segmenta valde attenuata. Fructus magis elongati, minus erubescentes.

Hab. in collibus siccis, praesertim in pratis sylva cinctis, et fructificat a Majo usque ad Octobrim. ♃. ♏.

FRAGARIA *pràecox. Kitaib.*

F. calyce fructus erecto; pedunculis, foliis radicalibus adnatis, uni-polyfloris; pubescentia pedunculorum, petiolorumque patentissima; foliolis superne pilosis, subtus sericeo-hirsutissimis.

Fragaria praecox. Schult. Oesterr. Fl. ed. 2. II. 82. in fid. Kitaibelii.

Hab. in Syrmia, et floret primo vere. Prof. Schultes interrogat, num forte sit Fr. sterilis Vaill. par. (P. Vaillantii.)? quam merito a F. sterili L. diversam judicat. Mihi nulla occasio contigit plantam conspiciendi. Remanet autoptis propositio.

FRAGARIA *abnòrmis.* T.

F. sepalis incisis; corollis, foliis, stolonibusque anomalis. T.

Fragaria monophylla. L. Syst. veg. p. 476. Willd. Sp. pl. II. 1093. Ait. h. k. ed. 2. III. 273. Curt. Bot. Mag. no. 63.

Fragaria vesca β. monophylla. Pers. Syn. II. 53.

Fraisier de Versailles. Duchesne Hist. des Frais. p. 124. Usteri's Ann. d. Bot. XIV. 40. c. ic.

Quamvis in fidem auctorum citatorum ex facto pateat, Fragariam sic dictam monophyllam e Fr. quadam culta ortum duxisse, tamen pro specie habenda nostro aevo enata, quum non modo e seminibus propagata characterem retineat, sed et spontanea inveniatur. Specimina sicca, quae vidi in herbario Dni. Sauter, in valle Gastein Ducatus salisburgensis lecta, a Fragaria elatiore non differebant nisi magnitudine diminuta, foliis grosse, et fere inciso-dentatis, scapis filiformibus, floribus parvis, sepalis, petalisque spatulato-linearibus apice inciso-dentatis. Cetera erant Fragariae elatioris.

In hac planta omnia anomala sunt; stolones modo adsunt modo desiderantur; folia modo simplicia, modo ternata; bracteae nunc integerrimae nunc laciniosae, petala modo orbiculata et integerrima, modo linearia, spatulata, vel inciso-dentata. Constanter flores minores et sepalae incisae sunt, quae tamen et saepius luxuriant, et petala magnopere excedunt. Fructus majores minoresve. Pubescentia et foliolis proxime accedit ad F. elatiorem, dentibus foliolorum simplicium vero saepissime ad F. chilöensem. Nomen permutandum putavi, quod folia non semper sunt simplicia, imo potius characterem minime essentialem constituunt. ♏. et ♃. T.

FRAGARIA *stèrilis. L.*

F. petalis obcordatis calycis longitudine, receptaculo sicco, pubescentia petiolorum et pedunculorum patentissima, caule decumbente. Willd.

Fragaria sterilis. Willd. Sp. pl. II. 1093. Ait. h. k. ed. 2. III. 273. Curt. fl. Lond. f. III. t. 173. Smith Engl. bot. 1785. Ej. fl. britt. II. 546. Hoffm. Deutschl. Fl. 1791. p. 178. c. ic. Boissieu Fl. d'Eur. III. 352. M. Bieb. fl. taur. cauc. I. 403.

Potentilla fragariastrum. Ehrh. herb. no. 146. Pers. Syn. II. 56.

Potentilla fragaria. Poiret Encycl. V. 599. De Cand. Synops. 337. Nestler. Potent. p. 76. no. 68. Lehmann Potent. p. 160. no 69. Link En. II. 65.

Potentilla fragariaefolia. Gmel. fl. bad. als. II. 452. (excl. Vaill. synon.)

Potentilla prostrata. Fl. d. Wetterau. II. 250. Moench meth. p. 659.

Fraga sterilis. Lapeyr. fl. pyr. p. 287.

Comarum fragarioides. Willd. En. I. 558. Roth fl. germ. I. 224. et II. 575.

Potentilla micrantha. Schleich. Catal. 1807. p. 20. fide specim.

Radix sublignosa (vidi vere lignosam. T.) fusca. Caules plures, digitales, vel spithamaei, laxi, laterales decumbentes, intermedii adscendentes, uti petioli et pedicelli pilis patentissimis instructi, subbiflori. Folia ternata, radicalia longe petiolata; petiolis longitudine caulium florentium. Foliola sessilia, ovalia (saepius subrotunda vel obovata. T.) grosse serrata (dentata) serratura terminali minore, subtus pallide viridia, utrinque subsericea. Pedicelli in singulis caulibus plerumque duo, calyx piloso-villosus, basi subincrassatus (et fere turbinatus T.) foliola acuminata, interiora breviora (saepius bifida T.) villosa. Corolla nivea, petalis obcordatis. Receptaculum pilosum, (siccum) akeniis laevibus albicantibus. Lehmann.

Hab. in Austria, Germania, Gallia, Anglia, Italia, Helvetia. ♃. Planta stolonifera, ut omnes Fragariae normales, sed stolones saepius in flores terminantur. A Fragaria nolui separare ob eminentiam affinitatis in habitu, et quod etiam aliae Fragariae species per abortum saepe sicca Gynophora sive receptacula ferunt. T.

FRAGARIA *breviscàpa. T.*

F. foliis ternatis, scapis subunifloris petiolis angustioribus et brevioribus erectis, petalis obverse cordiformibus, calyci aequalibus. Vest.

Potentilla breviscapa. Vest in Diar. bot. Flora dicto. IV. ann. tom. I. p. 158.

Folia radicalia longissime petiolata: petiolo 3—5 pollicari, inferne retrorsum-, superne patenti-piloso. Foliola ternata, omnia partiali petiolo instructa, intermedium cuneato-subrotundum, serratum: serraturis conniventibus, terminali minuta; lateralia inaequilatera, omnia supra laete viridia, pubescentia, subtus caerulescenti-glaucescentia, subsericea, margine villosa plana. Scapus basi stipulatus uncialis vel sesquiuncialis, in planta spontanea aphyllus, uniflorus, in culta biflorus, foliisque floralibus et bracteolis instructus, petiolis tenerior, retro pilosus, pilis canescentibus. Folium florale primarium petiolatum simplex, obovatum apice serratum, foliolis ceterum conforme, secundarium lanceolatum integerrimum, 3 lineas longum; bracteae adhuc minores et angustiores; pedicelli scapo longiores, laxi, nutantes. Flores parvi. Calyx 10-fidus, laciniis subaequalibus, exterioribus lineari-lanceolatis, interioribus vix brevioribus, semi-lanceolatis, extus villosis intus fere glabris, basi atropurpureis, ceterum laete viridibus. Petala alba vel subrubentia obovata, vix emarginata, calyce fere duplo minora, distantia. Gynophorum urceolo calycis contentum. T.

Hab. in monte Sti Donati prope Rohitsch in Stiria. ♃. Detexit Prof. Vest; qui dicit, esse perfecte eandem quam Seringe in Musaeo helvetico 1820. fasc. 3tio descripsit atque delineavit. Descripsi ad specimen siccum ex herbario amici Dni. Jos. Neumayer. T.

FRAGARIA *micràntha. T.*

F. caulibus prostratis hirsutis, unifloris, foliis ternatis, foliolis ovatis, obtusis, serratis, basi inaequalibus, sericeis; petalis ovalibus subintegerrimis, calyce dimidio brevioribus. Lehmann.

Fraga sterilis. β. parviflora. Lapeyr. Fl. pyr. p. 287.

Potentilla Fragaria β. micrantha. Nestl. Potent. p. 76.

Potentilla parviflora. Clairville Man. d'herb. p. 166.

Potentilla micrantha. Poir. Enc. Suppl. IV. 541. Pers. Syn. II. 56. De Cand. fl. fr. IV. 468. Spreng. pl. min. cogn. pug. I. p. 35. no. 64. Lehmann. Potent. p. 158. no. 68.

Planta digitalis. Caules prostrati. Folia ternata, radicalia longe petiolata, petiolis pilis patentissimis mollibus instructis flexuosis, 2—3 pollicaribus. Foliola ovata, obtusa, serrata, supra subsericea, subtus canescentia, dense sericea, inaequalia; lateralia basi extrorsum producta, introrsum cuneata, integerrima, medium obovatum, basi cuneatum et integerrimum. Stipulae ovatae acutae, membranaceae, pilosae. Pedicelli terminales, filiformes, in singulis caulibus subsolitarii, subaphylli, laxi. Calyx villosus: foliolis subaequalibus, semilanceolatis, acuminatis. Corolla pallide-flava: petalis ovalibus, integerrimis, rarissime vix emarginatis, calyce dimidio brevioribus. Receptaculum subpilosum: akeniis subrotundis, glabris, pallidis. Affinis quam maxime P. Fragariae, a qua tamen specie distincta et praeter alias notas e descriptione assumendas, statura minore, foliolisque lateralibus basi inaequalibus, praesertim vero forma et brevitate petalorum immutata in cultura diversa nobis videtur. Lehmann. l. c.

Hab. in Pyrenaeis et in monte Pollino Calabriae. ♃. ♏. Suscepta Fragaria sterili, non potest excludi F. micrantha, illi utique quam maxime et forte nimis affinis. T.

DUCHESNÉA *Smith. Fragaria Andrew.*

(Syst. sex. Icosandr. polygyn. A. n. Rosaceae. G. p. Fragaria.)

Char: gen: Calyx monophyllus, patens, 10-fidus, urceolo semigloboso, sepalis exterioribus majoribus, obovatis apice crenatis, petalis oppositis, interioribus minoribus, lineari-lanceolatis, acuminatis, petalis interpositis. Corolla lutea, calyce fere minor, petalis obovatis et obcordatis, calycis limbo insertis. Filamenta plurima, (circa 70), subulata, petalis 3-plo breviora, calyci inserta. Antherae subrotundae, bilobae incumbentes. Gynophorum (v. Flora s. Diar. bot. 1822. T. II. p. 584.) ovatum, succulentum, abiens in baccam spuriam saturate purpuream. Germina plurima, minima in gynophoro superficialia, ovata, compressa, incurva. Styli simplices, lateribus germinum inserti, decidui. Stigmata simplicia. Akenia drupacea, purpurea, nitida, compressa, fructum Fragariae perfecte aemulantia; calyce persistente, patulo cincta.

Planta penitus intermedia inter Potentillam et Fragariam, repens et stolonifera. Folia et fructus Fragariae, sed fructus omni aromate destituti, etsi dulces. Corolla Potentillae; habitus praesertim Potentillae reptantis; Calyx Gei ut et stipulae.

Nomen huic generi ab ill. praeside Smith inditum conservat memoriam Ant. Nic. Duchesne, Galli, qui ao. 1764. Manuale botanicum et ao. 1766. historiam Fragariarum ediderat, pulcherrimis observationibus ditissimam. Duchesnia Cass. est Inula crispa Desf. v. In. gnaphalodes Vent.

Differt a Fragaria praesertim calyce et numero staminum. T.

DUCHESNEA *fragifòrmis. Smith.*

D. caule repente, flagellari, pubescente, pedunculis axillaribus, unifloris, petiolis subaequalibus. T.

Duchesnea fragiformis. Smith in Transact. of the Linn. Soc. X. vol. 2. p. 373. Poiret Encycl. Suppl. IV. 544.

Fragaria indica. Andr. Bot. Repos. VII. 479. Link. En. h. ber. II. 63. Ait. h. kew. ed. 2. III. 273.

Flagella reptantia 1 — 2 pedalia, filiformia, fuscescentia, sulcata, villoso-pubescentia, in distantiis 3 — 5 pollicaribus 1 — 3 petiolos proferentia, et inter hos pedunculum. Folia radicalia plurima; foliola brevissime petiolata, supra fere glabra, subtus pubescentia, ceterum valde anomala a.) magnitudine semipollicari usque bipollicari: b.) figura, ovata, obovata, spatulata, rotunda, reniformi, lateralibus conformibus vel inaequilateribus, imo etiam bilobis; c.) margine, scil: serrata, dentata, vel crenata, plerumque ciliata. Stipulae oppositae, semiadnatae, inciso-lobatae, sericeo-tomentosae. Pedunculi erecti, pubescentes 2 — 4 pollicares. Urceolus pisi magnitudine semiglobosus, ad limbum parumper constrictus. Sepalae exteriores interioribus triplo majores, utrinque pubescenti-tomentosae. Petala et stamina limbo calycis adnata, pulcherrime lutea. Fructus magnitudine et forma Fragariae vescae, pulcherrime purpureus. Vidi et colui fructiferam etiam apetalam. T.

Hab. in alpibus Indiae orientalis, in parte boreali-orientali Bengaliae: ao. 1805. primum Europam translata. ♏. △.

Anmerkung.

Dieser Band besteht aus

Titel und Vorrede, 1 Bogen (p. I — XVI.).

Rosaceae. 21½ Bogen mit den Signaturen: 1 bis 171 im linken Ecke jedes Blattes.